# Colloquia, sive Confabulationes tyronum literatorum

Hermannus Schottennius



# Colloquia, sive Confabulationes tyronum literatorum

Hermannus Schottennius



Rights for this book: Public domain in the USA.

This edition is published by Project Gutenberg.

Originally issued by Project Gutenberg on 2023-05-07. To support the work of Project Gutenberg, visit their Donation Page.

This free ebook has been produced by GITenberg, a program of the Free Ebook Foundation. If you have corrections or improvements to make to this ebook, or you want to use the source files for this ebook, visit the book's github repository. You can support the work of the Free Ebook Foundation at their Contributors Page.

# The Project Gutenberg eBook of Colloquia, sive Confabulationes tyronum literatorum

This ebook is for the use of anyone anywhere in the United States and most other parts of the world at no cost and with almost no restrictions whatsoever. You may copy it, give it away or re-use it under the terms of the Project Gutenberg License included with this ebook or online at www.gutenberg.org. If you are not located in the United States, you'll have to check the laws of the country where you are located before using this eBook.

Title: Colloquia, sive Confabulationes tyronum literatorum

ıor: Hermann Schottenius
ıtor: Hermannus Schottennius

Release date: May 8, 2023 [eBook #70713]
Most recently updated: May 24, 2023

Language: Latin

Credits: Aurēliānus Agricola

*** START OF THE PROJECT GUTENBERG EBOOK COLLOQUIA, SIVE CONFABULATIONES TYRONUM LITERATORUM ***

# COLLOQUIA, SIVE CONFABULATIONES TYRONUM LITERATORUM,

Hermanno Schottennio Hesso autore. Ab eodem nuper plusquàm triginta Conviviis lepidissimis auctæ. Ad hæc, quotidiani sermonis formulas communiores, ex doctissimis quibusque Autoribus decerptas, in puerorum gratiam adiecimus.

Lugduni, apud Antonium Gryphium. 1566.

---

# Hermannus Schottennius Hessus candido lectori.

Cum nuper hasce conderem nugas pueriles, Candide lector, in eorum usum qui sub mea agunt ferula, ilico exoriebantur nonnulli (nescio amore an odio ducti) qui dicerent, se satis admirari non posse, edendi Colloquia provinciam me velle subire post Erasmum illum Germaniæ decus, et literarum verarum vindicem nostra ætate, cuius colloquia omnium iuvenum palatis satis facerent. Horum stomacho paucis respondere lubet. Admiror ego rursus ipsos, qui credant nihil me audere debere in confabulationibus novis componendis, ob Erasmi autoritatem. Nónne in literario munere multos in candem arenam descendisse legimus, neque absterritos ob id, quòd alii albis (ut aiunt) equis præcesserint? Nam, ut inquit Cicero in oratore ad Brutum, in Poëtis Græcis, non soli Homero est locus, aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro, sed horum vel secundis, ut etiam infra secundos. Neque verò in Philosophia Aristotelem à scribendo deterruit amplitudo Platonis. Nec ipse Aristoteles admirabili scientia et copia cæterorum studia restinxit. Demosthenes quanvis Græcorum oratorum excellentissimus esset, multi tamen alii eo tempore viguerunt, neque posteà defecerunt. Quare et ego semipaganus, ac in literis Camelus saltans, ausus sum post Erasmum, Colloquia Tyronum literatorum conscribere: quæ si non optima reddidi, contentus saltem ipsa vel optimis proxima censeri. Solùm enim haec in meorum discipulorum usum composui, et illorum, quorum ingenia humi repunt, ac Latinum sermonem nondum neque à limine salutarunt, neque primoribus labiis attigerunt.

---

# Et Genere et moribus adolescenti ingenuo Gysberto Sterckenberg, Hermannus Schottenius Hessus S. P. D.

Platonem quondam discipuli rogitarunt, ut ea quæ ipsis lectionibus variis tradidisset, in unum redigeret volumen: quorum precibus Philosophiæ præceptor ille divinus facilè consensit, conscribens libros complures in Philosophiæ consecutionem. Huius ego excitatus exemplo, ut fidus estimarer ingeniorum saginator, Latinas locutiones, quas hactenus satis abundè tibi tuisque commilitonibus literariis dictavi, in unum hunc confabulationum libellum congessi, quo tuam Minervam Latinè loquendi copia irrigarem, ut quandoque elimatior reddita, patris tui, viri prudentissimi, mihi amicissimi, expectationi de te, tuisque aliis duobus fratribus Ioanne et Matthia, respondeat. A cuius vestigiis te de generare turpissimum certè esset: huius ut votis auscultes (fervidè scilicet amplectendo literas) æquissimum erit, tibíque multo magis, quàm ipsi conducet. Et ut facilius emergas, tu cæterique tui fratres et sorores, neque unquàm egestate obruamini, ipse pater vester virtutum verum domicilium huius inclytæ urbis Agrippinæ de albo, Senatorum prudentia nulli secundus, omni conatu, omne movendo saxum, etiam et cælibem ducendo vitam: id unicum agit, quo te, tuosque fratres et sorores ditet, locupletet, et vobis ut congerat reliquæ vitæ commeatum. Suis igitur, Gysberte discipule dilectissime, expectationibus rogo respondeas: tunc autem respondebis, si scientia et virtute te pulchrè ornaveris, Vale Gysberte charissime, ac cum tuis commilitonibus aliis mihi discipulis strenuè studeas. Animus mihi est, in literatos vos evehere viros, vobis animus sit velle proficere. Faxit Deus, ut utrunque utrique bene succedat. Iterum vale.

Coloniæ ex ædibus meis, decimonono Calendas Martias.

# COLLOQUIA SIVE CONFABULATIONES TYRONUM LITERATORUM.

---

# Difficile esse Latinum discere sermonem, et unde dicatur sermo Latinus.

**Albertus** & **Antonius**.

**Albertus:** Quid tu hîc terrarum geris?
**Antonius:** Hîc literis incumbo.
**Albertus:** Quando venisti huc?
**Antonius:** Ante paucos dies.
**Albertus:** Quis tecum?
**Antonius:** Pater meus.
**Albertus:** Rediit ipse deinde solus in patriam?
**Antonius:** Non, sed habuit comitem unum aut alterum.
**Albertus:** Qui isti fuerunt?
**Antonius:** Nostri concives fuerunt.
**Albertus:** Militas in schola sermonis Latini vel Germanici?
**Antonius:** Latinæ linguæ.
**Albertus:** Difficile est Latinum addiscere sermonem.
**Antonius:** Consentio.
**Albertus:** Nisi quis semper loquatur Latinè ægrè addiscet.
**Antonius:** Non dissentio.
**Albertus:** Sed scisne quare dicatur lingua Latina?
**Antonius:** Credo quòd ab Italia, quæ quondam Latium est dicta.
**Albertus:** Venit tunc ab Italia lingua Latina ad nos Germanos.
**Antonius:** Ita, ignoras illud?
**Albertus:** Optimè credo, quia sermo Italorum est medius Latinus.
**Antonius:** Non aberras.
**Albertus:** Sed cur Italia olim dicta est Latium?

**Antonius:** Quia Poëtæ scribunt, dum Saturnus à suo filio Iove è cœlo esset expulsus, tum latuit in Italia, inde a latendo dicitur Latium. Et à Latio Latinus, a, um.

**Albertus:** Ubi in Italia Latina lingua est orta?

**Antonius:** Dicunt in urbe Roma, quæ Italiæ caput est.

---

# De salutatione matutina.

## **Vilhelmus** & **Volfgangus**.

**Vilhelmus:** Bonum mané.

**Volfgangus:** Semper sanè.

**Vilhelmus:** Sic ipse non responderem.

**Volfgangus:** Cur non?

**Vilhelmus:** Quia barbarum est, et doctis displicet.

**Volfgangus:** Tamen multos sacerdotes ita fari audivi: verum dic tu, si nosti, elegantius.

**Vilhelmus:** Et tibi quoque, dicerem.

**Volfgangus:** Et ita posthac responsum solutanti dabo.

**Vilhelmus:** Bonus vel bona dies.

**Volfgangus:** Et tibi.

**Vilhelmus:** Precor tibi hunc diem candidum.

**Volfgangus:** Tibi quoque et talem rursus precor.

**Vilhelmus:** Felix sit tibi huius diei exordium.

**Volfgangus:** Et tibi quoque.

**Vilhelmus:** Opto tibi diem felicem.

**Volfgangus:** Eiusmodi et tibi opto vicissim.

**Vilhelmus:** Candidus sit tibi hic dies.

**Volfgangus:** Tibi etiam.

**Vilhelmus:** Precor, ut hoc die tibi prosperè succedant omnia.

**Volfgangus:** Rursus et tibi fiat istud.

**Vilhelmus:** Opto ut hodie nihil tibi accidat mali.

**Volfgangus:** Non aliud et ego opto tibi.

**Vilhelmus:** Auspicatum tibi diem precor.

**Volfgangus:** Non inauspicatum tibi per vices precor.

**Vilhelmus:** Faxit. Deus, ut hic dies tibi candidus illuxerit.

**Volfgangus:** Idem faciat ut talis sit tibi.

**Vilhelmus:** Felici omine hic dies te afficiat.

**Volfgangus:** Te pariter.

**Vilhelmus:** Fortunatus præsens sit tibi dies.

**Volfgangus:** Sit tibi non infortunatus.

---

# De salutatione Pomeridiana.

## **Petrus** & **Cornelius**.

**Petrus:** Salve.
**Cornelius:** Salve et tu.
**Petrus:** Sis salvus.
**Cornelius:** Salvus sis tu quoque.
**Petrus:** Sis salutatus.
**Cornelius:** Tu pariter.
**Petrus:** Salutem tibi precor.
**Cornelius:** Eandem et tibi opto.
**Petrus:** Salute te impertior.
**Cornelius:** Ego quoque te.
**Petrus:** Salus sit tibi.
**Cornelius:** Et tibi non desit.
**Petrus:** Salutem opto ut habeas.
**Cornelius:** Eam precor habeas et tu.
**Petrus:** Adsit tibi salus.
**Cornelius:** Et tibi absit minimè.
**Petrus:** Iubeo te salvere.
**Cornelius:** Te quoque ego.
**Petrus:** Iubeo ut salvus sis.
**Cornelius:** Talem iubeo et ego te esse.
**Petrus:** Iubeo te salute frui.
**Cornelius:** Et ea te potiri opto.
**Petrus:** Salutifera sit tibi fortuna.
**Cornelius:** Et talis tibi adsit.

**Petrus:** Salvam et incolumem vitam habeas.

**Cornelius:** Talem habeas et tu.

**Petrus:** Salute te afficio.

**Cornelius:** Ego vicissim et te.

**Petrus:** Adeo te salute.

**Cornelius:** Id facio et ego.

**Petrus:** Salute te adorior.

**Cornelius:** Non aliter et ego te.

**Petrus:** Salvum te esse toto cupio animo.

**Cornelius:** Et ego infelicem te non esse desidero.

**Petrus:** Felicitatis particeps sis, anhelo.

**Cornelius:** Totus et tu sis felix.

**Petrus:** Secunda tibi sint omnia.

**Cornelius:** Tibi etiam secundè adveniant singula et ex sententia.

---

# De salutatione Vespertina.

## **Ioannes** & **Gysbertus**.

**Ioannes:** Bonus vesper.

**Gysbertus:** Et tibi.

**Ioannes:** Bonum serum.

**Gysbertus:** Sic ego non loquerer.

**Ioannes:** Quare?

**Gysbertus:** Quia serum significat tarde, et non tempus vespertinum.

**Ioannes:** Tamen Capnion in Comœdia prima dicit: Uxor, bonum serum.

**Gysbertus:** Id ioco dicitur, et qui loquitur, est homo villanus imperitus.

**Ioannes:** Estne dicendum Bonum vesper?

**Gysbertus:** Non, sed bonus.

**Ioannes:** Tamen sic olim loquebantur, et adhuc quidem senes.

**Gysbertus:** Quid tum? nunc non licet apud doctos.

**Ioannes:** Precor tibi felix tempus vespertinum.

**Gysbertus:** Idem et tibi opto.

**Ioannes:** Felicem noctem tibi opto.

**Gysbertus:** Talem et tibi precor.

**Ioannes:** Auspicata sit tibi nox.

**Gysbertus:** Non alia sit et tibi.

**Ioannes:** Faustam habeas noctem.

**Gysbertus:** Tu quoque.

**Ioannes:** Fortunatum tibi sit tempus nocturnum.

**Gysbertus:** Et tibi non infortunatum.

**Ioannes:** Candidam tibi opto noctem.

**Gysbertus:** Et ego non sinistram tibi precor.

**Ioannes:** Prospera sit tibi nox imminens.

**Gysbertus:** Tibi etiam non infelix.

**Ioannes:** Vespertinum tibi commodet tempus.

**Gysbertus:** Et tibi non incommodet.

---

# De verbis dum cubitum itur.

## **Valterus** & **Adrianus**.

**Valterus:** Quota est hora?

**Adrianus:** Octava.

**Valterus:** Quotam horam sonuit?

**Adrianus:** Octavam.

**Valterus:** Quota est audita hora?

**Adrianus:** Octava, et nona imminet.

**Valterus:** Id non credo.

**Adrianus:** Verum est per Herculem.

**Valterus:** Tunc eundi cubitum tempus est.

**Adrianus:** Ego nondum dormiturio.

**Valterus:** Me autem somnus oppidò urget.

**Adrianus:** Ipse adhuc horam aut alteram vigilarem.

**Valterus:** Vigila tu quoad placuerit, ego cubitum ibo.

**Adrianus:** Abi tu Endymion.

**Valterus:** Ita me appellas, sed id nominis rectius tibi convenit.

**Adrianus:** Res ipsa nunc loquitur, quis maior sit Endymion et Epimenides.

**Valterus:** Tu alias semper prius me te cubitum confers.

**Adrianus:** Istud posthac non fiet.

**Valterus:** Ô insigne mendacium!

**Adrianus:** Voco te in pignus quodcunque.

**Valterus:** Nihil habeo quod tecum deponam.

**Adrianus:** Nunc, si unquam prior te lectum petiero, solidum pendam.

**Valterus:** Qualem solidum? an talem, qualem præceptor noster præbet

ferula?

**Adrianus:** Non, sed pecuniæ solidum.

**Valterus:** Agè placet, memor ero.

**Adrianus:** Istud facias.

---

# De cubitu resurgendo.

**Volfgangus** & **Georgius**.

**Volfgangus:** Heus tu, expergiscere.

**Georgius:** Hui, sine ut dormiam.

**Volfgangus:** Non sinam te dormire longius.

**Georgius:** Quare?

**Volfgangus:** Quia surgendi tempus est.

**Georgius:** Nondum tamen diluxit.

**Volfgangus:** Lux non est amplius expectanda.

**Georgius:** Tamen ante dies octo hora sexta in luce sonuit.

**Volfgangus:** Credo, sed interim dies diminutus est.

**Georgius:** Quomodo tam citò?

**Volfgangus:** Nunc pauca loquere, et surge.

**Georgius:** Surge tu prior.

**Volfgangus:** Faciam sed postea te non expectabo.

**Georgius:** Fac ut lubet, nam mihi ad scholam nota est via.

**Volfgangus:** Verùm et ego lucernam mecum feram, tum tibi in tenebris est eundum.

**Georgius:** Id parum refert, Lyncei mihi sunt oculi.

**Volfgangus:** Nunc surge, ut unà eamus.

**Georgius:** Ah, si liceret mihi adhuc momentum stertere.

**Volfgangus:** Tandem tamen oporteret te calidum deferere nidum.

**Georgius:** Post semihorulam ac lubens surgerem.

**Volfgangus:** Surge nunc, et vesperi eò citius lectum repetas.

**Georgius:** Æstimas id consultum probè?

**Volfgangus:** Ita mea fert opinio.

**Georgius:** Parebo tibi, ac surgam.

---

# De Ientaculo sumendo.

## **Hermannus** & **Laurentius**.

**Hermannus:** Quid sibi vult celer tuus gressus?

**Laurentius:** Quid loqueris?

**Hermannus:** Quæro quò tendas tam cito gradu.

**Laurentius:** Domum versus.

**Hermannus:** Quid isthuc est, quod te properare cogit.

**Laurentius:** Ientaculum nunc ibi sumitur, quod negligam, si non mox affuero.

**Hermannus:** Non expectant te servi ientando?

**Laurentius:** Expectant quidem, sed patina exinanita.

**Hermannus:** Non tum coquinæ ministra aliud tibi parat ientaculum?

**Laurentius:** Minimè, sed citius fustem mihi offert tam serò venienti.

**Hermannus:** Cogeris tunc esurire ad prandium usque?

**Laurentius:** Non prorsus.

**Hermannus:** Quid tum ientaris?

**Laurentius:** Panem cui, pro obsonio addo caseum.

**Hermannus:** Non iuvat te id ientaculi?

**Laurentius:** Non quantum panis iurulentus.

**Hermannus:** Ô tu delicate, et miseriæ expers.

**Laurentius:** Nescis fruendum esse fortuna, dum præstò est.

**Hermannus:** Bellè scio: sed delicata iuventus omni ætati nocet.

**Laurentius:** Iuventus mea etiam non non adeò lautè alitur.

**Hermannus:** Nunc sat est verborum, tu abi, ne te morer.

**Laurentius:** Abeo, tu vale.

**Hermannus:** Sis mei memor, dum ex voto tibi succedit.

**Laurentius:** Non intermittam.

---

# De prandio.

## **Theodoricus** & **Baptista**.

**Theodoricus:** Quid ita mœsto es vultu?
**Baptista:** Miraris hoc?
**Theodoricus:** Quid ni mirarer? Laboras ne morbo?
**Baptista:** Ita, morbo stomachi, quia fortiter esurio.
**Theodoricus:** Nondum es ientatus?
**Baptista:** Essem ientatus, cum sit ieiunium?
**Theodoricus:** Servas ne tu ieiunium?
**Baptista:** Non observarem? magis certè quàm lubeat.
**Theodoricus:** Sis bono animo, mox aderit prandii hora.
**Baptista:** Ô utinam adesset, quam ego vellem.
**Theodoricus:** Expecta, iam audies horam undecimam.
**Baptista:** Si illam audirem, hunc roderem panem.
**Theodoricus:** Prandebis ne ad nudum panem?
**Baptista:** Non, sed ipsum ederem quoad melius consequerer.
**Theodoricus:** Quid obsonii domi vestræ paratum est in prandium?
**Baptista:** Æstimo olus, ova, et halec unum aut alterum.
**Theodoricus:** Exaturas te etiam isto cibo?
**Baptista:** Utique olere Voragines ventris impleo.
**Theodoricus:** Quot ova peredis?
**Baptista:** Nunquam plura nisi duo.
**Theodoricus:** Addis ovis etiam halec unum?
**Baptista:** Addo, et quidem integrum si tostum est.
**Theodoricus:** Quid te delectet halec erutum salsugine?
**Baptista:** Ab isto nauseo.

**Theodoricus:** Qui tum iuvat te halec elixum?

**Baptista:** Utcunque, praefero tamen tostum.

---

# De Victu pomeridiano.

## **Ludovicus** & **Ioannes**.

**Ludovicus:** Cur ita altè suspiria ducis?

**Ioannes:** Pudet me dicere causam.

**Ludovicus:** Credo, quod domum cogitas.

**Ioannes:** Penè rem acu attigisti.

**Ludovicus:** Urgeris ne siti?

**Ioannes:** Ita, sed et fame.

**Ludovicus:** Nondum fortè prandisti?

**Ioannes:** Prandi utique, sed modice.

**Ludovicus:** Fuit vobis prandium adeò exiguum?

**Ioannes:** Fuit, quia foris prandebant parentes.

**Ludovicus:** Non sat habuistis panis et casei?

**Ioannes:** Habuimus quidem, sed isto non capior cibo.

**Ludovicus:** Sumes iam domi cibum merendinarium?

**Ioannes:** Sumam, Deo favente.

**Ludovicus:** Erit lautior quàm meridiei fuit obsonium?

**Ioannes:** Ita spero, si mater domi fuerit.

**Ludovicus:** Quid tu ipsius eges præsentia?

**Ioannes:** E promptuario cibi aliquid carnis mihi largietur.

**Ludovicus:** Ut audio: caro domi vestræ occluditur?

**Ioannes:** Occluditur, sed non prandii vel cœnæ tempore dum parentes adsunt.

**Ludovicus:** Sed dum absunt, fortè occlusa servatur.

**Ioannes:** Nonnunquam.

**Ludovicus:** Ô miseram vestram familiam, cui carnes denegantur

interdum.

**Ioannes:** Non est misera, sat habet alimenti.

**Ludovicus:** Sed ad merendam et ientaculum nihil habet carnis.

**Ioannes:** Istud facile est toleratu: nescis tenuem tunc temporis oportere esse cibum, aliàs in cœna vel prandio nihil haberemus esuriei, neque ad edendum essemus alacres.

---

# De Cœna.

## **Petrus** & **Valterus**.

**Petrus:** Salve: ut tecum agitur?
**Valterus:** Et tu salve, agitur mecum prosperè, gratia superis.
**Petrus:** Id lubens audio.
**Valterus:** Gratiam habeas.
**Petrus:** Ubi toto latuisti die?
**Valterus:** Nusquam nisi in ludo literario.
**Petrus:** Esset mihi quod tibi loquerer, si vacaret.
**Valterus:** Certè modò vacat minimè.
**Petrus:** Quî sic?
**Valterus:** Nox imminet, domum mihi eundum est illico.
**Petrus:** Domi quid ages?
**Valterus:** Cœnabo cum parentibus.
**Petrus:** Non licet tibi pauxillum morari?
**Valterus:** Non, si saltem plagas vitare volo.
**Petrus:** Fortassis tuum est mensam sternere?
**Valterus:** Est, simul et ad cyathos stare.
**Petrus:** Non facit famula ista munera?
**Valterus:** Non, sed in popina agenda exequitur.
**Petrus:** Cœnant parentes tui semper domi?
**Valterus:** Ita, verùm prandent quandoque foris.
**Petrus:** Nunquam vocantur et interdum aliô ad cœnam?
**Valterus:** Persæpe, sed venire renuunt.
**Petrus:** Quamobrem recusant?
**Valterus:** Timent noctu plateas emetiri.

**Petrus:** Vanè timent.

**Valterus:** Nequaquam, nescis noctem nihil boni, sed sæpe pugnas afferre.

---

# De Postcœnio.

**Cornelius** & **Adrianus**.

**Cornelius:** Ô utinam nox præsto esset.

**Adrianus:** Cur id velles?

**Cornelius:** Quia delicati aliquid edulii edam.

**Adrianus:** Ubi, domi vestræ?

**Cornelius:** Non, sed alibi.

**Adrianus:** Ubinam dic amabo mi Corneli?

**Cornelius:** Dicam, sed tibi nihil conferet.

**Adrianus:** Quid tum, gestio tamen audire.

**Cornelius:** Arrige igitur aures.

**Adrianus:** Faciam sedulò.

**Cornelius:** Parentes mei sunt vocati ad dubiam cœnam, quam postcœnium appellitant.

**Adrianus:** Quid ibi tu frugis speras?

**Cornelius:** Permultum sanè.

**Adrianus:** De isto me certiorem reddas.

**Cornelius:** Lucernam feram isthuc, ut domum versùs reducam parentes.

**Adrianus:** Tum tibi fortè ad lumen tibi operiendum erit.

**Cornelius:** Non, sed intromittar, quia ædium custodem nosco.

**Adrianus:** Intromissus quo concedis?

**Cornelius:** Mensam accedo, cui parentes accumbunt, ibi bolum opiparum consequor.

**Adrianus:** È parentum manu?

**Cornelius:** Ita et quidem largiter, saccharum, mellitissimúmque potum.

**Adrianus:** Ô si tum tibi adessem: sed ore et mihi sacchari buccellam serva.

**Cornelius:** Polliceor tibi, si ipse non totum absumpsero.

**Adrianus:** Fac te amicum experiar.

---

# De potu postremo à cœna.

**Quirinus** & **Nicolaus**.

**Quirinus:** Ut sic sedes nutanti capite?
**Nicolaus:** Dormiturio.
**Quirinus:** Certè non dormituris, sed iam dormis.
**Nicolaus:** Fortassis.
**Quirinus:** Quin surge, et cubitum perge.
**Nicolaus:** Congredere mihi.
**Quirinus:** Cur me comitem petis, timésne lemures?
**Nicolaus:** Non, sed quia lectus friget.
**Quirinus:** Ventris anhelitu ipsum tepefac.
**Nicolaus:** Nequeo, quia rapas cœnatus non sum.
**Quirinus:** I præ, postquam denuo bibero, sequar.
**Nicolaus:** Mihi quoque palatum adhuc aret.
**Quirinus:** Mane, eo eductum haustum postremum à cœna.
**Nicolaus:** Manebo, sed velox redi.
**Quirinus:** Promámne plusculum tui gratia?
**Nicolaus:** Sic facito.
**Quirinus:** En, hîc affero.
**Nicolaus:** Gratum mihi est.
**Quirinus:** Sed præbibere est meum.
**Nicolaus:** Non displicet mihi.
**Quirinus:** Medium tibi propino.
**Nicolaus:** Prosit, sed non exhaurias totum.
**Quirinus:** Ne dubita, sat tibi reliquum sinam.
**Nicolaus:** Nunc bibe actutúm.

**Quirinus:** Vides plus tibi relictum, quàm à me potatum.

**Nicolaus:** Video, rursus tecum partiar.

**Quirinus:** Non admodum moror, si lubet exicca.

**Nicolaus:** Nimium est, quam quod ebibere possem.

---

# De invitatione ad Ientaculum.

## **Crato** & **Michael**.

**Crato:** Ô Te miserum hominem!

**Michael:** Quid me miserum vocas?

**Crato:** Quia domus tua hinc longe distat, non potes ientare.

**Michael:** Assuetus sum ad prandium usque famem suspendere.

**Crato:** Id certè meo non arrideret stomacho.

**Michael:** Tu bene in ipso nido ederes.

**Crato:** Si esuris, veni mecum ientatum.

**Michael:** Istud tibi cordi non est.

**Crato:** Seriò loquor, comitare me.

**Michael:** Sed quid mater tua diceret?

**Crato:** Ipsa aberit ab ædibus.

**Michael:** Nunc lubet mihi congredi.

**Crato:** Sed id tibi prædico, præter panem iurulentum habebimus nihil edulii.

**Michael:** Credo, quia fortassis caro nondum erit percocta.

**Crato:** Rectè coniicis.

**Michael:** Instruit famula tam serò focum?

**Crato:** Ita, quia non nisi undecima hora accumbimus mensæ.

**Michael:** Cur tam serò?

**Crato:** Quia non citius pater à negotiis executis domum redit.

**Michael:** Non prandetis nisi ipse præsto fuerit?

**Crato:** Essemus adeò inciviles, quòd ipsum non operiremur?

**Michael:** Istud non suspicabar.

**Crato:** Nunc ingrediemur, ne coquinæ ministra ientacuculo nos maneat.

**Michael:** I præ, sequar.

---

# Invitandi alium ad prandium.

**Petrus** & **Georgius**.

**Petrus:** Tempore pomeridiano gymnasio nostro non interero.

**Georgius:** Quid te remorabitur?

**Petrus:** Vocandi mihi erunt convivæ in crastinum prandium.

**Georgius:** Qui sit, quòd convivas invitaris.

**Petrus:** Bovem mactavimus, ad intestina hospites tractabimus.

**Georgius:** Etiam et me?

**Petrus:** Si non est tibi lautior mensa, veniat.

**Georgius:** Umbra sum, nolo.

**Petrus:** Emaneres ideo?

**Georgius:** Ita, nam umbris non est parata sedes.

**Petrus:** Ignoras convivam subitum et improvisum, nonnunquàm vocato esse acceptiorem?

**Georgius:** Apud paucos certè.

**Petrus:** Parentes mei omnes ex æquo tractant et excipiunt convivas.

**Georgius:** Nosti tu parentum cogitatus?

**Petrus:** Ego opera eorum et mentis perpendo recessus.

**Georgius:** Sæpe aliud foris, et aliud corde habent homines.

**Petrus:** Talia de meis desine parentibus suspicari.

**Georgius:** Esto, faciam.

**Petrus:** Actutum cras decima postquàm sonuerit, venias. Domi nostræ nil plus dicas, quàm parentes salutes.

**Georgius:** Essem adeò incivilis?

**Petrus:** Te à me invitatum loquitor.

**Georgius:** Faciam, tum audacior ero, ingrediendo domum, et ad mensam edendo ac bibendo.

# Vocandi alium ad cibum pomeridianum.

**Antonius** & **Albertus**.

**Antonius:** Quid in sinu geris adeò turgidum?
**Albertus:** Cibum merendinarium.
**Antonius:** Certè providus es, quòd esuriem futuram præmeditaris.
**Albertus:** Non et tu quippiam alimenti tecum tulisti?
**Antonius:** Mehercle ne bolum quidem.
**Albertus:** Fortè memoriæ tuæ non obrepsit.
**Antonius:** Non soleo à prandio cibum ferre mecum in ludum literarium.
**Albertus:** Si esuris, tecum hunc panem partiar.
**Antonius:** Vix tibi soli sufficit.
**Albertus:** Æstimas me vulturem esse?
**Antonius:** Non sed ipse ieiunus istum panem uno devorarem rictu.
**Albertus:** En, accipe dimidiatum ipsum.
**Antonius:** Hui, tantum non expeto.
**Albertus:** Casei, quantum lubet, ede.
**Antonius:** Comede et tu.
**Albertus:** Non admodum esurio.
**Antonius:** Tamen edendo sis mihi comes.
**Albertus:** Faciam, ne cibus tibi venenatus videatur.
**Antonius:** Istud non soleo vereri.
**Albertus:** Ut tuum delectat palatum caseus iste?
**Antonius:** Optime, nam pinguedine affatim est condîtus.
**Albertus:** Paritne tibi sitim?
**Antonius:** Paululùm excitat mihi palatum.
**Albertus:** Ex hac lignea lagena tibi propino.

**Antonius:** Sit felix tibi bibenti.

**Albertus:** Cervisia est nostra domestica.

**Antonius:** Eam malo, quàm quæ vulgò venit.

---

# Vocandi alium ad Cœnam.

**Ioannes** filius civis, **Henricus** aliò oriundus.

**Henricus:** Condixistíne alicui hodie cœnam?
**Henr:** Nemini.
**Ioannes:** Neque aliquis tibi obtulit?
**Henricus:** Nemo: hercle nemo.
**Ioannes:** Cœnabis tum domi tuæ?
**Henricus:** Domi meæ non cœnabo, sed ieiunabo.
**Ioannes:** Qui fit hoc?
**Henricus:** Quia nihil mihi est quod edam.
**Ioannes:** Parentes mei rogant, ut nobiscum cœnam sumas.
**Henricus:** Vellem te vera loqui.
**Ioannes:** Fidem mihi habeas.
**Henricus:** Esto, do fidem.
**Ioannes:** Eas igitur celerrimè.
**Henricus:** Ut præcesseris, ita et sequar.
**Ioannes:** Veni ocyus, mensa est instructa obsoniis.
**Henricus:** Venio, ac velox.
**Ioannes:** Rogo, ad mensam ne quid mali de me loquaris parentibus.
**Henricus:** Securus esto, delator non sum.
**Ioannes:** Si quærent parentes an in literis progrediar, quid dices?
**Henricus:** Asseram te omnibus aliis in literis ferventiorem.
**Ioannes:** Si secùs dixeris, postremum me amicum habuisti.
**Henricus:** Ad mensam soleo non garrire, sed stomachum curare.
**Ioannes:** Fac edas fortiter, ne vereare ob parentum præsentiam.
**Henricus:** In mensa frontem perfrico.

**Ioannes:** Sat vini tibi in calicem largiar, tu vide, ut ebibas.

**Henricus:** Vinum non moror, si cervisia in promptu est.

**Ioannes:** Nescis, vinum modice sumptum acuere ingenium?

**Henricus:** Ingenium meum plus enecat vini potus, quàm excitat.

**Ioannes:** Bibendo fortè modum excedis. Sed ingredere, ne cœnando moremur parentes.

**Henricus:** Præcede, ut dignum est.

---

# De modo studendi.

## **Thylmannus** & **Martinus**.

**Thylmannus:** Ubi lates, quòd nusquam proripis?

**Martinus:** Semper domi ad libros.

**Thylmannus:** Assides continuè libris?

**Martinus:** Assideo utique.

**Thylmannus:** Vide ne quid immodico te affligas studio.

**Martinus:** Id minimè timeo.

**Thylmannus:** Multi qui in studio modum excedunt, tandem desipiunt.

**Martinus:** Id præcavebo ne quid desipiam.

**Thylmannus:** Vigilandum est tibi providè.

**Martinus:** Non tantum me macero literis.

**Thylmannus:** Amentia illa etiam quandoque oritur ex tenui victu.

**Martinus:** Non est mihi victus parcus.

**Thylmannus:** Assiduitatem tuam in literis laudo.

**Martinus:** Nunc naso me suspendis.

**Thylmannus:** Moriar, si non ex animo loquor.

**Martinus:** Concedo.

**Thylmannus:** Is primus in studio est modus, ut quis laboret, quò indies alios assequatur scientia.

**Martinus:** Id ego conor sedulò.

**Thylmannus:** Pudendum est, dum scientia ab alio vincimur.

**Martinus:** Nusquam Pol, est maior habendus pudor.

**Thylmannus:** Multos tamen nihil pudet esse indoctos.

**Martinus:** Horum est salus desperanda.

**Thylmannus:** Sed quis tibi studendi est modus?

**Martinus:** Indies aliquid addisco.

**Thylmannus:** Id si perannum feceris, non parum coacervabis scientiæ.

**Martinus:** Istud exitus ostendet anni.

**Thylmannus:** Vide, ne ante anni egressum tepescas.

**Martinus:** Istud Dii avertant, quòd deferveam discendo.

**Thylmannus:** Accidit plerunque initio calescentibus, ut in dies frigidius laborent.

---

# De Epistola conficienda.

**Leo** & **Nicolaus**.

**Leo:** Ut sic sedes labia mordens?

**Nicolaus:** Epistolam vulgarem verto Latinè.

**Leo:** Opúsne est tibi conatu tanto in epistola conficienda?

**Nicolaus:** Est, et quidem perdifficili.

**Leo:** Ego dico citius epistolam in Latinum commuto.

**Nicolaus:** Credo, sed admodum impolite.

**Leo:** Non curo an polita vel inepta sit.

**Nicolaus:** Cur id parui pendis?

**Leo:** Quia præceptor adhibet limam.

**Nicolaus:** Tamen puderet me alios audire tam inelegantem meam epistolam.

**Leo:** In isto perfricui frontem.

**Nicolaus:** Hui, quid loqueris? non pudet te inscitiæ?

**Leo:** Non pudet me istius, quod etiam doctis usu venit.

**Nicolaus:** Quid istud est?

**Leo:** Quòd eorum emendantur scripta.

**Nicolaus:** Utcunque sit, dedecus est lapsum esse.

**Leo:** Cudis tu epistolam ubique politam?

**Nicolaus:** Id certè si non facio, laboro tamen pro vîribus.

**Leo:** Est id satis, pro viribus laborasse, dum nihil exit egregii?

**Nicolaus:** Ita, quia in magnis (ut aiunt) voluisse sat est.

**Leo:** Posthac in epistola diligentior etiam ero.

**Nicolaus:** Id faxit Deus.

**Leo:** Si lubet, certemus, quis in epistola scribenda excellat, vel

Nicolaus sit.

**Nico:** Assumo provinciam.

**Leo:** Ego glaciem secabo.

**Nicolaus:** Quid hoc proverbii est?

**Leo:** Adagium est, significans primùm rem aliquam experiri.

**Nicolaus:** Et ego te sequar, literisque meis tibi obstrepam.

---

# De repetenda Lectione.

## **Gosvinus** & **Matthæus**.

**Gosvinus:** Quid à cœna tibi domi est negotii?

**Matthæus:** Appetis id scire?

**Gosvinus:** Appeto oppidò, ideo sciscitor.

**Matthæus:** Arrige aures, non te celabo.

**Gosvinus:** Arrigo sedulò, effare.

**Matthæus:** Cibo recondito expatior, vel colloquor parentibus pauculis.

**Gosvinus:** Quid istis colloqueris?

**Matthæus:** Varia sunt verba, et præcipuè si quæ iucunda per diem didici.

**Gosvinus:** Ut audio, tu parentes doces vesperi, quod ipse per diem didicisti.

**Matthæus:** Non doceo eos, sed dicto aliquo lepido eos delecto.

**Gosvinus:** Transigis totam vesperam istis colloquiis?

**Matthæus:** Non, sed semi fortassis hora.

**Gosvinus:** Quid operis deinde tibi sumis?

**Matthæus:** Per diem in ludo literario audita rumino.

**Gosvinus:** Quo id facis modo, cùm solus sis?

**Matthæus:** Perlego subinde: ubi ignoro, sciscitor altero mane à peritiore.

**Gosvinus:** Vellésne repetendo te Theseum habere?

**Matthæus:** Mallem, si consequi possem.

**Gosvinus:** Quid si me comitem susciperes?

**Matthæus:** Arrideret mihi.

**Gosvinus:** Si hospitio parentes tui me vellent immunem habere?

**Matthæus:** Nihil libentius facerent, mei gratia.

**Gosvinus:** Ô quàm fervidè lectiones repetere velimus.

**Matthæus:** Certè manibus et pedibus discere velimus.

**Gosvinus:** Certaremus ante cubitum, quis eo die didicisset uberius.

**Matthæus:** Hîc ego semper tibi cederem.

**Gosvinus:** Quisque laborare deberet ut vinceret.

**Matthæus:** Utique, nam vinci turpissimum est, in literis præcipuè.

---

# De Corycæi metu auscultantis eos qui non Romano utuntur sermone.

**Erasmus** & **Udalricus**.

**Erasmus:** Hem, quî sic loquêris?
**Udalricus:** Ut loquor?
**Erasmus:** Éstne hic sermo habendus?
**Udalricus:** Cur non? ita mater me instituit.
**Erasmus:** Nostíne, nobis indicta esse verba, quæ à matre didicimus?
**Udalricus:** Quibus tum utemur?
**Erasmus:** Latinis vel Romanis.
**Udalricus:** Quis ita sancivit?
**Erasmus:** Præceptor constituit Coryceos in eos, qui non Latinè sonant.
**Udalricus:** Quid facient illi, qui Latini sunt expertes?
**Erasmus:** Hi aut silebunt, aut ut possunt Latina proferent.
**Udalricus:** Sed quid iuvat malè Latina fari?
**Erasmus:** Qui loquendo delirat, ab eruditione debet instrui.
**Udalricus:** Id æquum est.
**Erasmus:** Timeo mihi malè à clancularío illo Coryceo.
**Udalricus:** Ego autem manum non vertero.
**Erasmus:** Ipse oppidò timeo, quia ferulæ podicem subdere oportet.
**Udalricus:** Cutis mea ad ferulam occalluit.
**Erasmus:** Aliud certè diceres, si ad ferulam tibi res rediret.
**Udalricus:** Quid tum, quando corrigor, dentes comprimo, quòd ictus non sentio.
**Erasmus:** Ego conabor ut caliga mea ligulis sint constrictæ diploidi.
**Udalricus:** Non solet præceptor ligulas cultro solvere?

**Erasmus:** Nondum visum est mihi.

**Udalricus:** Sed mihi sæpiusculè contigit.

**Erasmus:** Fortassis iste præceptor tuus fuit plagosus.

**Udalricus:** Imò sævior Orbilio.

---

# De Somno plus æquo extenso.

**Vinandus** & **Sebastianus**.

**Vinandus:** Hui nos miseros, quid faciemus nunc?

**Sebastianus:** Quid sic eiulas?

**Vinandus:** Quídni eiularem? surgendi hora præteriit.

**Sebastianus:** Quam horam putas?

**Vinandus:** Sextam, qua schola invisenda est.

**Sebastianus:** Sis bono animo, ea nondum sonuit.

**Vinandus:** Sonuit certè diu.

**Sebastianus:** Id mihi non persuadebis.

**Vinandus:** Si scholam accesserimus, tum ferulam nanciscemur.

**Sebastianus:** Semel nobis indulgebit præceptor.

**Vinandus:** Indulsit mihi heri, dicens se ultrà non condonaturum.

**Sebastianus:** Nondum mihi condonavit plagam, ideo iam liber ero.

**Vinandus:** Pete igitur tu scholam.

**Sebastianus:** Non es congressurus?

**Vinandus:** Non, sed tu emanendi mihi copiam flagita.

**Sebastianus:** Quid causæ afferam?

**Vinandus:** Dic me matri negotium facessere.

**Sebastianus:** Timeo ne postea mater ambos apud præceptorem mendacii accuset.

**Vinandus:** Id ne metuas, in me sumam si quid irata fuerit.

**Sebastianus:** Bene, tu lues, ego minimè.

**Vinandus:** Periculum faciam.

**Sebastianus:** Iacias aleam, mea nihil refert.

**Vinandus:** Tu abi, nam appetit septima hora.

**Sebastianus:** Abeo, tu in medium dormias diem.

**Vinandus:** Non hercle, pauxillum adhuc quiescam, mox inde erumpam.

**Sebastianus:** Ego hinc discedo, tu pigritiam edormias. sed vide ne cum periculo.

**Vinandus:** Ferulæ ictum non timeo, vulnera non infligit.

---

# De morbo Socordiæ, quem scholasticis abscribunt.

## **Valterus** & **Petrus**.

**Valterus:** Salve tu Epimenides, cur tam diu Gymnasio non interfuisti?

**Petrus:** Morbus obstitit.

**Valterus:** Morbus! cuius farinæ fuit?

**Petrus:** Dolor nempe capitis et ventris.

**Valterus:** Coniicio facilè quid ægritudinis fuerit.

**Petrus:** Quî hoc agnoscis? an ex facie mea?

**Valterus:** Non, quia medicam artem non calleo.

**Petrus:** Unde aliâs percipis?

**Valterus:** Divino.

**Petrus:** Potes divinare, amâbo dic, quam putas fuisse mihi infirmitatem?

**Valterus:** Eam quam adscribunt scholasticis, scilicet desidiam.

**Petrus:** Minimè, toto cœlo aberras.

**Valterus:** Ne inficias iveris, per Herculem is fuit morbus.

**Petrus:** Peream si ille fuerit.

**Valterus:** Esto, sed isto morbo plerunque succumbunt scholastici, dum à ludo absunt.

**Petrus:** Assentio, sed istius cohortis ego non sum.

**Valterus:** Ah, quasi te intus et in cute non noscerem.

**Petrus:** Si talem me æstimas, nondum à vertice ad pedes me novisti.

**Valterus:** Dum me hic occupat morbus, dico matri, me ex intestinorum dolore laborare.

**Petrus:** Adhibet tum fidem tuis dictis?

**Valterus:** Ilico, et mollem collocat lectum, ovorúmque sorbitiuncula lauta me reficiens.

**Petrus:** Si talem haberem matrem, sæpe me ægrum simularem, ut sorbitiuncula potirer et lautis bolis.

**Valterus:** Ego nonnunquam totus sanus assero me infirmum, dum opipari aliquid meum palatum suspirat.

**Petrus:** Mater mea citius fustem, quam talia mihi præberet.

**Valterus:** Per Pollucem miror cur scholastici plus aliis socordiæ sint obnoxii.

**Petrus:** In promptu causa est, quia à labore feriantur, eumque fugiunt et execrantur omnes.

---

# De metu Ferulæ.

## **Cornelius** & **Christianus**.

**Cornelius:** Quò tu abis?

**Christianus:** Gymnasium literarium versús.

**Cornelius:** Istuc tibi non congrediar.

**Christianus:** Quid te remoratur vel detinet?

**Cornelius:** Quia (ut nosti) lectionibus diu non interfui.

**Christianus:** Emaneres ideò.

**Cornelius:** Ita, quia malè mihi metuò à ferula.

**Christianus:** Non est tibi quid commenti, quo te excuses?

**Cornelius:** Veri nihil habeo quod afferam.

**Christianus:** Vera ubi desunt, falsis utere, quò plagas effugias.

**Cornelius:** Rogabo fortassis matrem, ut præceptorem mihi reconciliet.

**Christianus:** Id age, et illico redeas.

**Cornelius:** Vereor tamen matrem petere, quia latet eam illa mea à schola absentia.

**Christianus:** Fugit id matrem tuam? ubi locorum tum egisti?

**Cornelius:** Cum nonnullis commilitonibus aves captatum.

**Christianus:** Proh, quid audio? es tu avium captator?

**Cornelius:** Non sum sed captionis spectator.

**Christianus:** Iuxtà carpendus ut captator es.

**Cornelius:** Nunc quid faciam consulis, quò ferulam evadam?

**Christianus:** Certè consilio vaco.

**Cornelius:** Scio quid faciam.

**Christianus:** Quid fac audiam.

**Cornelius:** Præceptoris ferulam subibo, ne parentum fustes recipiam.

**Christianus:** Id si feceris, prudenter ages.

**Cornelius:** Præstat molles ferulæ plagas sustinere, quàm fustium graves morsus.

**Christianus:** Istud te sapere arguit, et pituitæ (ut vulgò fertur) non esse obnoxium.

**Cornelius:** Corneæ fibræ homo esset, qui non acrem ferulam, quàm virides fustes ferre mellet, si quid commeruisset.

---

# De excusatione absentiæ à ludo literario.

## **Laurentius** & **Crato**.

**Laurentius:** Quî fiat, nescio, hodie totus à schola abhorreo.

**Crato:** Ego quoque.

**Laurentius:** Ô si liceret iam à libris et lectione nos feriari.

**Crato:** Id perquàm vellem.

**Laurentius:** Periculum faciemus apud præceptorem de impetranda vacatione.

**Crato:** Ægrè impetrabitur otiandi facultas, nam multi fuerunt dies celebres.

**Laurentius:** Dicemus posthac nos fore ferventiores in literario labore.

**Crato:** Istud verbum apud eum nihil habebit loci.

**Laurentius:** Unde hoc nostis?

**Crato:** Quia illo verbo sæpe usi sumus, neque unquam facto æquavimus.

**Laurentius:** Pollicemur nunc, cum periculo cutis.

**Crato:** Arridet mihi, si et aliis.

**Laurentius:** Sed si ludendi copiam nobis non concedat præceptor, ipse mihi ferias faciam.

**Crato:** Vide si feceris, ne malè cadat.

**Laurentius:** Quomodo malè caderet?

**Crato:** Quia cras ferulam senties.

**Laurentius:** Ibi consilii sum plenus.

**Crato:** Fac et nos participes si quid boni consilii nosti.

**Laurentius:** Præceptorem adeo vel ipse, vel per nuntium, et domi meæ detineri dico negotio aliquo.

**Crato:** Faciemus et id nos quoque tunc, tum unà expatiabimur.

**Laurentius:** Sanciemus inter nos foedus, ut in scholis unus alterius afferat verbum.

**Crato:** Placet, sed pœna dicatur in eum, qui tesseram fregerit.

**Laurentius:** Pœna sit, quòd è nostro eliminetur consortio.

**Crato:** Ratum sit et sancitum quod loqueris.

---

# Quare Schola dicatur Ludus.

## **Eberardus** & **Theodoricus**.

**Eberardus:** Quorundam verbis aliquando percepi, scholam dici ludum, audistíne et tu?

**Theodoricus:** Audivi sæpiusculè.

**Eberardus:** Quid tum censes? æstimas verum esse?

**Theodoricus:** Neutiquam certè.

**Eberardus:** Neque ego, cùm in ea non ludatur, sed percutiatur.

**Theodoricus:** Tuæ accedo sententiæ.

**Eberardus:** Fortassis præceptori est ludus, qui ad nutum nos miseros serit.

**Theodoricus:** Istud ludere Eumenides ferant.

**Eberardus:** Herculè scholam potius pistrinum quàm ludum dicerem.

**Theodoricus:** Verius istud nominis ipsi conveniret Gymnasio.

**Eberardus:** Sed age, dic causam, cur credis scholam dictam esse ludum?

**Theodoricus:** Eloquar, quantum ab aliis didici.

**Eberardus:** Ero auditor sedulus.

**Theodoricus:** Ut lusor suo Theseo sæpe facetias præbet, ita præceptor animo amico tanquam ludendo docebit discipulos.

**Eberardus:** Hoc certè perpauci schola præfecti faciunt.

**Theodoricus:** Nosco cute expertus.

**Eberardus:** Ô quàm lubens scholas inviserem, si blandiens esset præceptor!

**Theodoricus:** Oportet blandiri diligenti, non defidi et Endymioni, ut tibi.

**Eberardus:** Miror an plus prodesset discipulis benignitas vel severitas præceptoris.

**Theodoricus:** Istud non miror vel hereo: nescis libentius nos sequi blandientem quàm minantem?

**Eberardus:** Habuistíne unquàm ludimagistrum, qui ludentis speciem instruendo exhibuit?

**Theodoricus:** Habui, et quidem primo studii mei tempore.

**Eberardus:** Studebas sub istius ferula apprimè diligenter?

**Theodoricus:** Conatum quem potui discendo adhibui, ut solent elementares pueri, si laudati fuerint, et non ad acres tractati virgas.

**Eberardus:** Mirum est, si studio incaluisti: licentia tamen et blanditiis solemus fieri deteriores, ut Terentius inquit.

**Theodoricus:** Nihil sceleris nobis permisit præceptor, sed in discendo nostros conatus laude extulit.

---

# De die qua otiatur à lectione.

## **Ioannes** & **Udalricus**.

**Ioannes:** Ô Simus hilares, sodales charissimi.

**Udalricus:** Vt sic gestis?

**Ioannes:** Non gestirem hodie, cum à prandio sit nobis otiandum à lectionibus?

**Udalricus:** Illud et ipsi scimus.

**Ioannes:** Hanc diem feliciorem omnibus aliis iudico.

**Udalricus:** Et nos non parum delectat.

**Ioannes:** Bellè post meridiem sol lucebit.

**Udalricus:** Ita aurora prædixit.

**Ioannes:** Prandii igitur peracta fabula, si omnibus est cordi, unà rusticabimur.

**Udalricus:** Cui id displiceret?

**Ioannes:** Vel si vobis visum fuerit, in pomœrio ludemus.

**Udalricus:** Parum intererit, quo nos recreemus loco, saltem in schola non desideamus.

**Ioannes:** At adhuc incerti sumus, an à lectione vacabimus.

**Udalricus:** Isto nihil est certius.

**Ioannes:** Si facultas divagandi nobis dabitur, quid agemus scio.

**Udalricus:** Exprime.

**Ioannes:** Arcum in rus mecum feram in columbas tela emissurus.

**Udalricus:** Si velint sagittam tuam morari.

**Ioannes:** Nonnunquàm volando ipsas enecavi.

**Udalricus:** Hoc contigit perquàm rarò.

**Ioannes:** Quicquid avium consecutus fuero, commune erit.

**Udalricus:** Age tum convivabimur.

**Ioannes:** Ubi? An in platea ovium, ubi solemus potitare à ludo?

**Udalricus:** Ibidem torrebimus aves à te enectas.

**Ioannes:** Sed à symbolo per aves ego immunis ero.

**Udalricus:** Quicquid biberimus, nos pendemus, tu non teruntium dabis.

**Ioannes:** Sin nihil prædæ et spolii sagittæ à me emissæ attulerint, de impendio compotatiunculæ quid fiet?

**Udalricus:** Compotatiuncula nulla inter nos agetur.

**Ioannes:** Dedeceret à deambulando siccis palatis nos digredi.

**Udalricus:** Id laudabilius, quàm si madentes potu, nutanti gressu domum parentum repeteremus.

---

# De Æstate.

## **Hermannus** & **Gysbertus**.

**Hermannus:** Placétne tibi mihi congredi rusticatum?

**Gysbertus:** Rusticari nondum cupio.

**Hermannus:** Ego autem anhelo maximè, quia æstatis amœnitas advenit.

**Gysbertus:** Est tibi æstas? mihi hybernaculum adhuc immoratur.

**Hermannus:** Hui, non pudet te hybernaculo nunc infidere temporis?

**Gysbertus:** Minimè, cùm acre sit frigus.

**Hermannus:** Rus hinc abeo, visum quo modo campi floreant.

**Gysbertus:** Abi, me comitem non habebis.

**Hermannus:** Aliquo tamen dierum, quo tibi integrum erit, rus unà invisemus.

**Gysbertus:** Si vacaverit, non renuam.

**Hermannus:** Eundem in campum mihi est latum frondes redolentes.

**Gysbertus:** Tales vix ortas reperias.

**Hermannus:** Inveniam complures, nam diu floruerunt.

**Gysbertus:** Deferésne eas deinde vænum clamando per plateas, Hîc frondes redolentes?

**Hermannus:** Æstimas talia me agere?

**Gysbertus:** Quò aliâs feras ipsas?

**Hermannus:** Domum versús, ut ibi nobis redoleant.

**Gysbertus:** Hoc negotii quis tibi dedit?

**Hermannus:** Mater.

**Gysbertus:** Tum vade, ocyus exequere.

**Hermannus:** Satis temporis ad vesperam restat.

**Gysbertus:** Audín’ tu hac æstate quid ages, dum nimius fuerit æstus?

**Hermannus:** Domi me in umbra continebo.

**Gysbertus:** Inamoenum est domi latitare aëre calido et blandienti.

**Hermannus:** Non inficias eo.

**Gysbertus:** Cur tum sub tecto domi tempus teris?

**Hermannus:** Oportet per parentes.

**Gysbertus:** Plus æquo curiosi et molesti sunt parentes, qui te eo tempore domi coërcent, ut nusquàm proripias.

**Hermannus:** Mei commodi sunt solliciti.

**Gysbertus:** Istud domi desidere, quid conferre tibi potest?

**Hermannus:** Non parum prodest.

**Gysbertus:** Explica.

**Hermannus:** Domi cochleæ agendo vitam, calceos non detero, neque à sole exuror, ut fuscus fiam.

**Gysbertus:** Per Herculem istud multum accommodat.

---

# De Autumno.

## **Iasperus** & **Iacobus**.

**Iasperus:** Adest rursus tempus istud pestiferum, et hyemem reducens.

**Iacobus:** Quod tempus putas?

**Iasperus:** Autumnale, cuius hodie primus est dies, festum sancti Bartholomæi.

**Iacobus:** Vocas tu istud tempus pestiferum?

**Iasperus:** Voco, quia nunquàm magis quàm hoc tempore, morbo succumbunt homines.

**Iacobus:** Si verum fateri vis, nullo non tempore totius anni laboratur doloribus corporis.

**Iasperus:** Præcipuè tamen Autumni diebus.

**Iacobus:** Nescio, laus superis, ego nunquàm infirmitatem sensi in Autumno.

**Iasperus:** Præter istud incommodum, et frugem tamen aliquam secum affert.

**Iacobus:** In quo est frugifer?

**Iasperus:** Quia vinum profert.

**Iacobus:** In hoc certè laudem meretur.

**Iasperus:** Alia quoque commoda habet.

**Iacobus:** Quæ nam? dic.

**Iasperus:** Abigit pulices suo frigore, qui nos nocte in æstate verminarunt.

**Iacobus:** Certè non omnibus illos depellit.

**Iasperus:** Qui sentiunt pulices in Autumno?

**Iacobus:** Vetulæ mulieres semper sub vestibus quæritant eos.

**Iasperus:** Apud illas perpetuum habent hospitium.

**Iacobus:** Adde et pediculi.

**Iasperus:** Autumnus etiam nucum adducit messem.

**Iacobus:** Istas non admodum moror.

**Iasperus:** Narra quid causæ siet?

**Iacobus:** Quia adimunt vocis synceritatem.

**Iasperus:** Eam restituit aqua pura et calida.

**Iacobus:** Sed à cibo abhorreo, qui me aquam potare cogit.

**Iasperus:** Supra communem hominum fortem sapis.

**Iacobus:** Nunc me naso suspendis.

**Iasperus:** Non, quia homines sæpe aliqua edunt, etiam unde perniciem sunt accepturi, istud tu fugiturum te dicis.

---

# De Hyeme.

**Vilhelmus** & **Georgius**.

**Vilhelmus:** Ah, ah, quantum frigeo.

**Georgius:** Friges nunc temporis?

**Vilhelmus:** Nónne et tu frigore premeris?

**Georgius:** Non, sed totus caleo.

**Vilhelmus:** Præstantius me vestitus es.

**Georgius:** Id sanè parum est, sed crepidæ me calere faciunt.

**Vilhelmus:** Facile frigus pellit, cui crepidæ sunt et chirothecæ subductæ pellibus.

**Georgius:** Oportet et corpus multis operiri indumentis.

**Vilhelmus:** Quid faciam nescio, malè ad hyemem instructus sum.

**Georgius:** Quî hoc fit?

**Vilhelmus:** Indumenti mihi nihil est, nisi quam conspicis.

**Georgius:** Verè non bene tibi cum hyeme conveniet.

**Vilhelmus:** Si in patria agerem, in cœlo essem.

**Georgius:** Quare?

**Vilhelmus:** Dum ibidem essem, hyemem non sensi.

**Georgius:** Non tum scholam invisisti?

**Vilhelmus:** Æstate quidem, sed hyeme post fornacem latui.

**Georgius:** Quid egisti? torrebásne poma in fornacem?

**Vilhelmus:** Utique et pyra quandoque.

**Georgius:** Mirum quòd parentes tibi indulserunt.

**Vilhelmus:** Lubentissimè, sed istam non habebo hîc lautitiam.

**Georgius:** Vereor quòd non.

**Vilhelmus:** Ah, quantum mihi ferendum erit vice deliciarum, quas in

patria habui.

**Georgius:** Tibi ipsi es vates.

**Vilhelmus:** Dabit Deus his quoque finem.

**Georgius:** Sed serius fortassis quàm velles.

**Vilhelmus:** Et hæc olim (ut inquit Poëta) meminisse iuvabit.

**Georgius:** Mehercle dulcius nihil est, quàm actorum recordari laborum, quos superavimus.

**Vilhelmus:** Multos tamen quandoque vidi (ut 2. Æneidos de Ænea scribit Vergilius) qui lachrymando habitam miseriam recensuerunt.

**Georgius:** Stulti homines qui victam calamitatem lachrymis prosequuntur.

---

# De Vere.

## **Gerhardus** & **Bruno**.

**Gerhardus:** Unde tanta fluviorum copia?
**Bruno:** Nix altis in montibus liquitur.
**Gerhardus:** Fortassis.
**Bruno:** Sic est.
**Gerhardus:** Tempus expetit, quia Ver adest.
**Bruno:** Non adesset Ver, cùm simus in martio mense?
**Gerhardus:** Nunc agricolæ redeunt ad agros colendos.
**Bruno:** Labor etiam rursus incumbit equis.
**Gerhardus:** Satis per hyemem quieverunt.
**Bruno:** Inertiam ipsis aratrum expellet.
**Gerhardus:** Fuistíne hisce diebus in pomariis?
**Bruno:** Istic nihil est quod agam.
**Gerhardus:** At fortassis violas quæsisses.
**Bruno:** Non sum violarum, sed librorum amator.
**Gerhardus:** Putabam violas à rusticis egestas.
**Bruno:** Hæ tuo naso et ori conveniunt.
**Gerhardus:** Bona verba, quæso.
**Bruno:** Ut loqueris, ita et responsum accipis.
**Gerhardus:** Fateor, meo ipsius gladio cado.
**Bruno:** Incidisti in foveam quam fecisti.
**Gerhardus:** Post aliquot dies redolebunt pomaria violis.
**Bruno:** Post multos, non paucos certè.
**Gerhardus:** In dies iam è terra erumpunt.
**Bruno:** Vidistín’ aliquas?

**Gerhardus:** Vidi complusculas.

**Bruno:** Ego hoc Vere nullam.

**Gerhardus:** Si quas reperiam, ad te feram.

**Bruno:** Id facito, si te non gravabit.

**Gerhardus:** Non me degravat obsequium amico exhibendum.

**Bruno:** Facile amicos tibi parabis (teste Comico) si obsequiis conferendis aliis delectaris.

**Gerhardus:** Inservire amicis mihi delicium est.

**Bruno:** Id hominem decet (ut alius inquit Comicus) ut homini alteri Deus sit, id est, præstet auxilium et commodum.

---

# In festo sancti Galli.

**Nicolaus** & **Vinandus**.

**Nicolaus:** Appetit nunc dies sancti Galli, quo scholastici delectari solent.

**Vinandus:** Ego certè ipsius adventu nunc doleo.

**Nicolaus:** Solebas tamen plus aliis gaudere ob diem istum.

**Vinandus:** Fateor, sed nunc secus mecum agitur.

**Nicolaus:** Amabo dic, quis tibi est scrupulus?

**Vinandus:** Facilis est, et tamen plurimum me malè habet.

**Nicolaus:** Fortassis causam probè augurarer.

**Vinandus:** Si coniectura consequi potes, dicam.

**Nicolaus:** Periculi coniiciendi faciam.

**Vinandus:** Age, audiam.

**Nicolaus:** Non licet tibi prosternationi galli adesse.

**Vinandus:** Hercule rem acu tetigisti.

**Nicolaus:** Sed cedo, quid impedimenti erit?

**Vinandus:** Mater æs mihi largiri recusat.

**Nicolaus:** Sis animi præsentis, isti rei facilè medebor.

**Vinandus:** Quî mihi succurres?

**Nicolaus:** Mutuum tibi solidum æris dabo.

**Vinandus:** Si feceris, non diu carebis ipso.

**Nicolaus:** Estne tibi animus laborare ut tu gallum eneces, et (ut aiunt) rex efficiaris?

**Vinandus:** Istud honoris non cupio, ubi nihil est lucri.

**Nicolaus:** Vellem me posse ipsius cædem peragere.

**Vinandus:** Vino te donabo, si ipsi mortem intuleris.

**Nicolaus:** Omne movebo saxum, quo ipsum acerbius aliis tangam.

**Vinandus:** Spectator ero.

**Nicolaus:** Sed interim non obliviscaris vini mihi modò promissi.

**Vinandus:** Do fidem me præstiturum promissa.

**Nicolaus:** Ego si gallum interfecero, lautum exhibebo vobis convivium.

**Vinandus:** Quid à te immune accipiemus?

**Nicolaus:** Duos gallos gallinaceos ad veru coctos, et vini mensuras quatuor.

**Vinandus:** Sat erit.

**Nicolaus:** Spero quòd aliquid vini mihi donabitur, tum minus impendii faciam.

---

# De festo sancti Lamberti.

## **Paulus** & **Thomas**.

**Paulus:** Rursus matrem iratam reddam.

**Thomas:** Quo ipsam offendes?

**Paulus:** Rogitando pecuniam.

**Thomas:** Pecunia quid eges, cum victum habeas?

**Paulus:** Aliis egeo quàm victu.

**Thomas:** An non, quibus indiges, præbent tibi parentes?

**Paulus:** Quid ni?

**Thomas:** Cur tum æs expetis?

**Paulus:** Ludimagistro ut manus farciam.

**Thomas:** Cuius rei gratia?

**Paulus:** Lamberti feriæ expostulant.

**Thomas:** Ecce nisi dixisses, oblitus fuissem.

**Paulus:** Nunquid et tu modico ære ipsum donabis?

**Thomas:** Quod moris est, ipse non intermittam.

**Paulus:** Solet fieri, sed ignoro an meritò.

**Thomas:** Forte præmii loco est?

**Paulus:** Pretium seorsum exoluitur.

**Thomas:** Quod nunc dandum est, fortè munus æstimat præceptor.

**Paulus:** Id muneris crebrius pendimus.

**Thomas:** Nostíne, sæpe dandum amicis, ne intereat gratia?

**Paulus:** Præceptor munere isto non amicus, sed inimicus redditur.

**Thomas:** Exploratum unde habes?

**Paulus:** Scio aliquos qui plus cæteris ipsi conferunt munuscula, et illos acerbius corrigit, et in eos animadvertit.

**Thomas:** Quos sævius tractat, illos præ aliis diligit.

**Paulus:** Istud diligere Eumenides ferant.

**Thomas:** Cessa imprecari præceptori.

**Paulus:** Quid tu ipsi dabis? ego solido eum exhilarabo.

**Thomas:** Numum præstares (quem indocti album vocant) tu opulentus es, ego obolum unum aut alterum dabo.

---

# De eligendo Episcopo.

**Iaspar** & **Melchior**.

**Iaspar:** Intererísne die lunæ Gymnasio literarios?

**Melchior:** Sic credo.

**Iaspar:** Cui tuam dabis vocem?

**Melchior:** Quid hoc est vocem dare?

**Iaspar:** Id est, quem eliges in episcopum?

**Melchior:** Inconcinna est locutio.

**Iaspar:** Dictu venustiorem.

**Melchior:** Cui tuum dabis suffragium?

**Iaspar:** Poterísne et alio pacto eloqui?

**Melchior:** Possum, in cuius personam eligendam tu consenties?

**Iaspar:** Memoriæ istas recondam orationes. Ego suffragabor tibi.

**Melchior:** Ne facito.

**Iaspar:** Cur? istum non desideras magistratum?

**Melchior:** Non, quia frugis nihil affert.

**Iaspar:** Satis præmii mihi esset honor iste.

**Melchior:** Ipse honoris istius avidus non sum.

**Iaspar:** At pulchrum est dici episcopus.

**Melchior:** Verum, sed miserum est censum non expectare.

**Iaspar:** Si episcopus fierem, sperarem adhuc me in magnum evasurum virum.

**Melchior:** Unde istud sperares?

**Iaspar:** Ex moribus Gentilium.

**Melchior:** Quos isti habuerunt mores?

**Iaspar:** Ab his quæ in iuventute alicui acciderunt, sumpserunt futuræ

fortunæ conditionem.

**Melchior:** Fiebant etiam quandoque voti compotes? vel semper frustrabantur spe?

**Iaspar:** Quídni? sæpissimè.

**Melchior:** Exemplum unum eloquere.

**Iaspar:** Platoni in cunis dormienti, apes in os mel ingesserunt, ex quo aruspices eum fore virum facundum dixerunt, quod sic factum est.

**Melchior:** Mirum quod audio, sed haud et ægrè credibile est.

---

# De eligendo Rege.

## **Henricus** & **Iacobus**.

**Henricus:** Hodierno vesperi ubi tui cœnabunt parentes?
**Iacobus:** Ubi aliâs, nisi domi nostræ?
**Henricus:** Non aliquò sunt vocati convivæ?
**Iacobus:** Quò hodie invitati essent?
**Henricus:** Ad amicorum lances.
**Iacobus:** Foris cœnare eos puderet hoc die.
**Henricus:** Apud honestos convivam agere non est pudendum.
**Iacobus:** Fateor.
**Henricus:** Cur tum dicis quòd eos puderet?
**Iacobus:** Quia non solent hanc vesperam solennem foris peragere.
**Henricus:** Quî fiat cedo?
**Iacobus:** Nobiscum frontem domi exporrigunt.
**Henricus:** Ecquid voluptatis domi habetis?
**Iacobus:** Multum certè.
**Henricus:** Fortassis regem inter vos decernitis.
**Iacobus:** Id ipsum facimus scilicet.
**Henricus:** Delectúne, an forte?
**Iacobus:** Chartulis pileo impositis.
**Henricus:** Súntne omnes inscriptæ literis?
**Iacobus:** Sunt, et quidem nominibus magistratuum.
**Henricus:** Adest etiam reginæ scriptus titulus?
**Iacobus:** Est, sed vel matri, vel ancillis vendicantur.
**Henricus:** Fortuna quem regem fecerit, quid pendet?
**Iacobus:** Hodierno vesperi à sumptu est immunis.

**Henricus:** Immunis? quis tum vini exoluit cyathos?

**Iacobus:** Potu omni nos alii regem donamus, sed ipse alio tempore suo ære geniale parat nobis convivium et regium.

---

# De festo Natali Christi.

## **Georgius** & **Gysbertus**.

**Georgius:** Ego nunquam toto anno plus gaudeo, quàm nunc temporis.
**Gysbertus:** Ego verò nunquàm magis doleo.
**Georgius:** Doles tu tempore adeò læto?
**Gysbertus:** Non dolerem in tanto frigore?
**Georgius:** Ipse totus lætor, ob festorum dierum adventum et copiam.
**Gysbertus:** Quid feriæ tibi commodant?
**Georgius:** Otiabimur à lectionibus abundè.
**Gysbertus:** Quot dies?
**Georgius:** Fermè quatuordecim.
**Gysbertus:** Quando incipient istæ vacationes nostræ?
**Georgius:** À pridiano Thomæ, et ad alterum Circuncisionis diem durant.
**Gysbertus:** Et interim non visimus scholam?
**Georgius:** Accedimus quandoque, sed solùm cantatum.
**Gysbertus:** Quæ cantabimus?
**Georg:** Reddenda istis sacris diebus in templo.
**Gysbertus:** Istos cantus novi abhinc biennio.
**Georgius:** Anni curriculo mihi exciderunt memoria.
**Gysbertus:** Oportet ut sterilissima sit tibi memoria.
**Georgius:** Talia mihi cura non sunt, diligentius lusus quàm ista cogito.
**Gysbertus:** Scholasticum id dedecet.
**Georgius:** Canenda bis diebus habésne scripta?
**Gysbertus:** Habeo, et cum musicis concentibus.
**Georgius:** Exscribenda mihi ipsa accommodes.
**Gysbertus:** Libentissimè.

**Georgius:** Plurimum lætor, quòd nunc temporis adeò mitis est aër, et non acerbum frigus.

**Gysbertus:** Et ego gaudeo, aliâs in matutinis precibus frigore perirem.

**Georgius:** In lecto me continerem, si frigus sæviret.

**Gysbertus:** Ah, propter novum Regem natum nihil velis pati?

**Georgius:** Durum est à tepido nido discedere.

---

# De tempore Bacchanali.

**Michael** & **Vilhelmus**.

**Michael:** Quot hebdomadæ nunc intersunt, inter ferias Natales Christianas et Quadragesimam?

**Vilhelmus:** Opinor novem.

**Michael:** Hui tot?

**Vilhelmus:** Ita relatu aliorum accepi.

**Michael:** Cuius verbis habes?

**Vilhelmus:** Viri cuiusdam apprimè docti.

**Michael:** Tum longum erit carnisprivium.

**Vilhelmus:** Tace, obsecro, verbum istud barbarum.

**Michael:** Carnisprivium non est verbum venustum et Latinum?

**Vilhelmus:** Minimè, sed maximè impolitum.

**Michael:** Dic politiorem dictionem aliquam.

**Vilhelmus:** Tempus Bacchanale.

**Michael:** Cur ita appellas tempus hoc?

**Vilhelmus:** Quia olim in sacrificiis Bacchi insaniebant ita, ut hoc tempore furiunt.

**Michael:** Insaniebant, sacrificando Baccho Deo Gentiles?

**Vilhelmus:** Vivebant in omni luxu et dementia.

**Michael:** Éstne tibi aliud verbum quo hoc tempus appelles?

**Vilhelmus:** Festum vel tempus Lupercale etiam potest dici.

**Michael:** Quid novi verbi affers?

**Vilhelmus:** Novum non est, sed à veteribus historicis proditum.

**Michael:** À quibus?

**Vilhelmus:** À Valerio Maximo.

**Michael:** Cur illud nomen huic tribuis tempori?

**Vilhelmus:** Ob morem Gentilium.

**Michael:** Quis is erat mos?

**Vilhelmus:** Pastores pecorum currebant hoc tempore nudi, habentes pelles inmanibus in honorem Panos Dei pastorum.

**Michael:** In quod commodum isti sacrificabant?

**Vilhelmus:** Credebant quòd ab ovibus pelleret lupos: hinc vocatum est tempus Lupercale.

**Michael:** Fiebant etiam voti compotes?

**Vilhelmus:** Ignoro, nam tunc temporis vitam non egi.

---

# De Quadragesima.

## **Severinus** & **Philippus**.

**Severinus:** Poëtarum non semper vanæ sunt fabulæ.

**Philippus:** Certè me iudice parum habent veri.

**Severinus:** Habent mea sententia sæpe nihil præter veritatem.

**Philippus:** Probes id, aliô qui fidem tibi non habeo.

**Severinus:** De Fortuna fabulantur, quòd rotæ insistat.

**Philippus:** Notum habui diu.

**Severinus:** Istud veracissimè dicunt.

**Philippus:** Fac mihi persuadeas.

**Severinus:** Hactenus per aliquot dies curavimus cutem delicatissimè.

**Philippus:** Prætereà quid?

**Severinus:** Et nunc instat tempus quo corpus rursus macerabimus.

**Philippus:** Æstimas forte ieiunii tormentum.

**Severinus:** Puto istud, nam carnes prohibentur, quæ solæ pascunt corpus.

**Philippus:** Etiam pisces multos saginant.

**Severinus:** Nervos adeò non roborant, ut caro.

**Philippus:** Imò videas nonnullos pinguiores ex piscibus, quàm alios è carnibus.

**Severinus:** Qui isti sunt?

**Philippus:** Monachi in cœnobiis, ubi Pythagoricè mensa instruitur.

**Severinus:** Crassa illorum capita et ventres obesi certè è piscibus non fiunt, vel exurgunt.

**Philippus:** Fortè extra limen monasteriorum vescuntur crudis carnibus.

**Seuerinus:** Scio, et vidi, non solùm credo.

**Philippus:** Et mihi visum est creberrimè.

**Severinus:** In hisce semiseptem hebdomadibus esurialibus quo vescêris cibo?

**Philippus:** Pisis et pyris in fornace tostis.

**Severinus:** Ficubus istis, qui rusticis mel sapiunt?

**Philippus:** Ita, illos ad panem edo cum nucibus.

---

# De festo Paschatis.

## **Petrus** & **Matthæus**.

**Petrus:** Appetit nunc tempus, quo nullum toto anno est crudelius.

**Matthæus:** Quod illud est adeò impium?

**Petrus:** Paschatis puto dies.

**Matthæus:** Sunt isti tibi immanes et impii?

**Petrus:** Utique nam magna solet fieri cædes.

**Matthæus:** Habetur tum semper bellum hoc tempore?

**Petrus:** Nescis istud?

**Matthæus:** Ignoro.

**Petrus:** Nosti Thuringiam regionem Germaniæ Orientalis?

**Matthæus:** Nosco, ubi urbs Erphurdia est excellentior.

**Petrus:** Ibidem duo sunt loci: unus ab Halece, alter à Vitulo nomen sortitus.

**Matthæus:** Et quid posteà?

**Petrus:** Inter hos circa Pascha ingens bellum oritur.

**Matthæus:** Etiam annuo?

**Petrus:** Imò quotannis duabus vicibus.

**Matthæus:** Tempore dic quo?

**Petrus:** Circa Quadragesimæ auspicium, et ferias paschales.

**Matthæus:** Cuius loci incolæ evadunt victores?

**Petrus:** Cùm exorditur esuriale tempus, illi de Halece agnominati.

**Matthæus:** Quare illi?

**Petrus:** Quia diebus ieiunii piscis iste in coquinis et patinis dominatur.

**Matthæus:** Quando illi triumphant de prælio, quibus Vitulus agnomen præbuit?

**Petrus:** Paschatis tempore.

**Matthæus:** Qui hoc?

**Petrus:** Nam sequentibus diebus victitatur carnibus.

**Matthæus:** Lepidum audio iocum.

**Petrus:** Hoc quondam Erphurdiæ agens, nugari audivi.

**Matthæus:** Satis festinum dicterium.

---

# De festo Pentecostes.

## **Vinandus** & **Baptista**.

**Vinandus:** Sabbato proximo pridianus erit dies festi Pentecostes.

**Baptista:** Compertum id habeo.

**Vinandus:** Ventri nostro rursus bellum afferet.

**Baptista:** Quale bellum narras?

**Vinandus:** Corporis bellum, ieiunium scilicet.

**Baptista:** Pulchrè ieiunium vocas bellum, quia ventri odiosum est.

**Vinandus:** Hactenus tranquilla fuit caro nostra.

**Baptista:** Unde ista sibi tranquillitas quam æstimas?

**Vinandus:** Quia à Paschatis die non sensit ieiunii molestiam.

**Baptista:** Corpus meum tum ovis, tum aliis affatim est pastum delicatis bolis.

**Vinandus:** Sabbato denuò in pristinum ibimus.

**Baptista:** Facile est unum diem abstinentia peragere.

**Vinandus:** Ipso die Pentecostes accedes sacram Synaxin?

**Baptista:** Incertus sum.

**Vinandus:** Quî sic? ego me accingam, quo gratiam Spiritus sancti acquiram.

**Baptista:** Facerem et id ipse quoque, sed unicum me moratur.

**Vinandus:** Istud quidnam est?

**Baptista:** Invitus confiteor.

**Vinandus:** Ego alicubi ignoto mea delicta recenseo, tum plus audeo.

**Baptista:** Parabo et me, ut tecum peccata in sacrificuli aurem murmurem.

**Vinandus:** His Spiritus sancti feriis nobis scholasticis in primis est scelerum sex eiicienda.

**Baptista:** Verè dicis, ut Spiritus sanctus nos invitat.

**Vinandus:** Si is nobis præsto fuerit, sine sudore discemus.

**Baptista:** Ô utinam tum mihi adesset.

**Vinandus:** Peccata exue, pœnitentiam age, certè te suo donabit munere.

**Baptista:** Enitar pro viribus.

**Vinandus:** Sic facias, et literis fies aptior alumnus.

---

# De festo sancti Martini.

## **Hieronymus** & **Hermannus**.

**Hieronymus:** Quótnam dies abhinc absunt feriæ sancti Martini?

**Hermannus:** Opinor octo.

**Hieronymus:** Quodie peragentur?

**Hermannus:** In macra die, scilicet Veneris.

**Hieronymus:** Verspera tamen erit ipso die Iovis.

**Hermannus:** Erit ni fallor.

**Hieronymus:** Ô tum adhuc bene nobiscum agetur.

**Hermannus:** Unde illud coniicis?

**Hieronymus:** Nam tunc carnibus vescentur homines.

**Hermannus:** Illud nostro stomacho non commodabit.

**Hieronymus:** Imò plurimùm proderit.

**Hermannus:** Effare quomodo?

**Hieronymus:** Quicquid iusculi vel carnis à mensis levarint, nobis adfores cantantibus impartient.

**Hermannus:** Ad istud certè ollam mihi parabo.

**Hieronymus:** Si tibi placuerit, invicem tunc temporis ostiatim canemus.

**Hermannus:** Oppidò mihi arridet.

**Hieronymus:** Sed quicquid obsonii, vel æris nobis datum fuerit, commune erit.

**Hermannus:** Conferetur in illius vesperæ nostrum convivium.

**Hieronymus:** Sed qua hora egrediemur precatum stipem?

**Hermannus:** Postquam octava sonuerit.

**Hieronymus:** Illud temporis planè integrum erit nostræ precationi.

**Hermannus:** Conveniet maximè, nam eo tempore de mensa tolluntur patinæ.

**Hieronymus:** Anno abhinc proximo tantum accepi alimenti, quo octo victitabam dies.

**Hermannus:** Ô si ea nunc rediret fortuna!

**Hieronymus:** Sperandum est, et Deo confidendum.

**Hermannus:** Quis illius non anhelaret adminiculum?

**Hieronymus:** Multi suum exoptant præsidium, verùm inserviunt ipsi iniquè.

**Hermannus:** Hi consequentur gratiam eius ad Græcorum Calendas.

---

# De Xeniis mittendis.

## **Kilianus** & **Theodoricus**.

**Kilianus:** Precor tibi diem candidum.

**Theodoricus:** Talem et tibi opto.

**Kilianus:** Xenium fac mihi præbeas.

**Theodoricus:** Hui, tam citò! vix novi anni dies illuxit.

**Kilianus:** Hodie verum est tempus dandi xeniola.

**Theodoricus:** Hodie incipit, sed diu durat.

**Kilianus:** Fateor, sed tamen qui alteri dare volunt, non diuturnam moram agunt.

**Theodoricus:** Expecta, quo ad ipsum struxero.

**Kilianus:** Non opto strenam farinaceam.

**Theodoricus:** Lautior mihi non est alia.

**Kilianus:** Sed puderet me amicum mellito munusculo salutare.

**Theodoricus:** Quî id fit?

**Kilianus:** Quia timerem ne ab ipso nausearet.

**Theodoricus:** Vanum metuis, st bonus esset, boni consideret.

**Kilianus:** Verbis fortassis, at corde sperneret.

**Theodoricus:** Is personatus amicus esset.

**Kilianus:** Honestius est panniculum emunctorium largiri vice xenii.

**Theodoricus:** Est quidem, sed tale munus non omnibus in promptu est.

**Kilianus:** De interula aut panni ulna plura conficiuntur.

**Theodoricus:** Sed sæpe pluris constat conficiendi sumptus, quàm pannus.

**Kilianus:** Cultros vidi quandoque inter amicos missitari.

**Theodoricus:** Illos ego non mitterem.

**Kilianus:** Cur?

**Theodoricus:** Quia vulgò dicitur, cultros amicitiam rumpere.

**Kilianus:** Solide isti tu accedis dicto?

**Theodoricus:** Non totus consentio.

**Kilianus:** Attamen nonnihil ipsi fidem præbes.

**Theodoricus:** Facio, ut solent hi, qui quicquid audiunt, ex oraculo prolatum putant.

**Kilianus:** Es tu illius farinæ homo?

**Theodoricus:** Nescio. Meipsum non nosco.

**Kilianus:** Sed strenulam mihi fac mittas.

**Theodoricus:** Cras ultrò tibi conferam, interim spe vivas.

---

# De Pecunia danda in novæ scholæ ingressu.

**Martinus** & **Nicolaus**.

**Martinus:** Feriabimúrne post meridiem à lectionibus?

**Nicolaus:** Non compertum habeo.

**Martinus:** Ego ea spe ducor.

**Nicolaus:** Vide ne vanam spem foveas.

**Martinus:** Certus sum, spe non frustrabor.

**Nicolaus:** Præstaret fide iussorem habere.

**Martinus:** Tam scio quàm nomen meum.

**Nicolaus:** Eloquere quî scias.

**Martinus:** Est mihi adolescens domi, qui primùm iam scholam inviset.

**Nicolaus:** Hoc quid afferet nobis?

**Martinus:** Ipse à præceptore copiam otiandi nobis impetrabit.

**Nicolaus:** Qua arte?

**Martinus:** Largiendo ipsi pauxillulum numorum.

**Nicolaus:** Putas illud quod introitum vulgò appellitant.

**Martinus:** Istud ipsum volo.

**Nicolaus:** Sat habeo.

**Martinus:** Verùm, nostín' unde mos ille pervenerit?

**Nicolaus:** Audivi nunquàm originem.

**Martinus:** Dicam huius consuetudinis fontem, si te audire non tæduerit.

**Nicolaus:** Audire gestio.

**Martinus:** Qui apud artifices mechanicos tyrones sunt, istius artificii classi aliquid pendêre coguntur.

**Nicolaus:** Vidi quandoque in ipsorum artificum conciliabulo.

**Martinus:** Isto munusculo favorem sibi vendicant aliorum.

**Nicolaus:** Etiam in ipsorum album referuntur.

**Martinus:** Non secus et novus literarum tyro et præceptorem et nos demeretur.

**Nicolaus:** Quo?

**Martinus:** Præceptorem pauxillo æris, nos verò otio medii diei.

---

# Non semper esse studendum.

**Vincentius** & **Vilhelmus**.

**Vincentius:** Heus tu, paucis te volo.
**Vilhelmus:** Quis me vocat?
**Vincentius:** En, ego te voco.
**Vilhelmus:** Quid est quod me vis?
**Vincentius:** Facilis res est.
**Vilhelmus:** Exprime ocyus.
**Vincentius:** Quî sit quod ita palles?
**Vilhelmus:** Palleo? id ipse ignoro.
**Vincentius:** Palles non secus ac ægrotares.
**Vilhelmus:** Sanè nihil sentio doloris, gratia Deo.
**Vincentius:** Unde tum pallor ille oritur?
**Vilhelmus:** Color hic mihi est nativus.
**Vincentius:** Non adeò pallescunt homines à natura.
**Vilhelmus:** Quî nosti? ésne medicus?
**Vincentius:** Non, sed coniectura assequor, te chartis nimiùm addictum.
**Vilhelmus:** Literis totum transigo otium quod habeo.
**Vincentius:** Si id agis, tibi ipsi obes.
**Vilhelmus:** Hoc non spero, quòd mihi desim studendo.
**Vincentius:** Prodes fortè animæ, sed corpori noces.
**Vilhelmus:** Malo animæ quàm corporis profectum.
**Vincentius:** Bellè dicis, sed corpori debili et animæ tandem vis perimitur.
**Vilhelmus:** Periti istud non asserunt.
**Vincentius:** Quid tum dicunt?
**Vilhelmus:** Ad tenuem lancem, literas melius imbibi.

**Vincentius:** Concedo, sed tamen oportet corporis curam non totam omittere.

**Vilhelmus:** Neque hoc facio.

**Vincentius:** Extremum dementia esset, abstinentia immodica suum fraudare genium.

**Vilhelmus:** Præstat tamen alimonia animæ quàm corporis.

**Vincentius:** Enervatis autem corporis viribus, fulcimentum animæ et virtutibus tollitur.

**Vilhelmus:** Inficias non eo, cum corpus sit animæ promptuarium.

---

# Quem ludum debeant iuvenes exercere.

**Antonius** & **Laurentius**.

**Antonius:** Hui ludis tu tesseris?
**Laurentius:** Hoc tua quid refert?
**Antonius:** Ludus iste non scholasticorum est.
**Laurentius:** Quorum tum est?
**Antonius:** Nebulonum, heluonum, et his strionum.
**Laurentius:** Vidi ego complures literarum tyrones hoc uti ludo.
**Antonius:** Nihilo fuêre meliores.
**Laurentius:** Ánne peiores eos fuisse censes?
**Antonius:** Hercule non solùm peiores, sed et pessimos.
**Laurentius:** Tu nosti, quia tertius Cato es.
**Antonius:** Ride ut lubet, vera loquor.
**Laurentius:** Nihil ludendum et scholasticis arbitraris?
**Antonius:** Ludendum et ipsis quandoque, sed aliud lusus genus.
**Laurentius:** Age, qui ludus?
**Antonius:** Ludi nempe honesti, et verecundi.
**Laurentius:** Qui illi sunt?
**Antonius:** Quos olim Cumani suos docuerunt liberos.
**Laurentius:** Quales isti tradiderunt pueris?
**Antonius:** Natare, dimicare, et certare luctando.
**Laurentius:** Nullos alios?
**Antonius:** Nullos quos audiero.
**Laurentius:** Nunquam charta lusoria, vel talis?
**Antonius:** Minimè gentium.
**Laurentius:** Etiámne inter convivia cum amiculo?

**Antonius:** Nusquàm locorum.

**Laurentius:** Nimiùm sapuerunt.

**Antonius:** Si semel et iterum concessissent, malè cecidisset.

**Laurentius:** Nonnunquàm ludere, ferendum esse.

**Antonius:** Audistín' Platonem dicentem, non parvum incommodum esse consuetudinem iniquam?

**Laurentius:** Consuetudo diutino et frequenti conatu fit, non rarò tentando.

---

# De Eleemosynis colligendis.

## **Ludovicus** & **Pantaleon**.

**Ludovicus:** Placétne tibi mihi congredi?

**Pantaleon:** Quò?

**Ludovicus:** Ignoras? ostiatim petitum decimas nostras.

**Pantaleon:** Decimas quid vocas?

**Ludovicus:** Stipem, quæ nobis pauperibus à divitibus erogatur.

**Pantaleon:** Est illa nobis vice decimarum?

**Ludovicus:** Utique est.

**Pantaleon:** Mihi non fit verisimile.

**Ludovicus:** Pinguis Minerva homo es, quòd ista non capis.

**Pantaleon:** Haud capio, rogo apertius mihi dicas.

**Ludovicus:** Obsecundabor, tu ausculta.

**Pantaleon:** Advertam diligenter.

**Ludovicus:** Nosti agrorum dominos oportere fuis, aut parœcianis, aut principibus pendere decimas?

**Pantaleon:** Nosco per parentes meos.

**Ludovicus:** Non secus oportet et divites illos, de suis bonis pendere nobis stipem.

**Pantaleon:** Certè si oporteret eos, tum nunquàm recusarent.

**Ludovicus:** Dum renuunt, ipsis luditur.

**Pantaleon:** Imò plus luditur nobis, quàm ipsis.

**Ludovicus:** Longè aberras.

**Pantaleon:** Deliro dicis: venter mihi fame perit.

**Ludovicus:** Divitum incommodum longè est gravius.

**Pantaleon:** Dic, quod illud est?

**Ludovicus:** Dei incidunt iram, quòd pietatis non sunt cultores.
**Pantaleon:** Istud non æstimant.
**Ludovicus:** Sed olim ante iudicem Deum acerbè sentient.
**Pantaleon:** Interim induciis fruuntur?
**Ludovicus:** Misera induciæ sunt, quas certum sequitur tormentum.
**Pantaleon:** Solatium tamen est dilatione frui, etiam momentanea.

---

# De Ludo Pilæ.

## **Gysbertus** & **Petrus**.

**Gysbertus:** Ut sic desidetis? surgite pigerrimi.

**Petrus:** Quid conabimur?

**Gysbertus:** Colludemus nonnihil?

**Petrus:** Malumus hîc in gramine viridi quiescere.

**Gysbertus:** Endymionum est, non adolescentum, ita gramini incumbere.

**Petrus:** Attamen dulce est.

**Gysbertus:** Iucundius mihi est ludere, quàm torpere.

**Petrus:** Age, ludendo concertemus.

**Gysbertus:** Pilámne iaciendo invicem?

**Petrus:** Cui est pila? nobis deest.

**Gysbertus:** En, hîc duas habeo.

**Petrus:** Molliorem et leviorem accipiemus.

**Gysbertus:** Bellè dicis, nam ista minus afferet doloris.

**Petrus:** Sed sortiemur periculi et ludi comites.

**Gysbertus:** Ludemus, ut pila scrobibus impellatur.

**Petrus:** Tum sors mittatur, quis incipiat.

**Gysbertus:** Scrobs prius adscribatur cuilibet.

**Petrus:** Quisque accipiat quam velit, suprema erit mea.

**Gysbertus:** Advolve pilam, in cuius scrobem ceciderit, eam in alios proiiciet.

**Petrus:** Papæ, meam incidit, fugite hinc.

**Gysbertus:** Ho, ho, neminem tetigisti, notula tibi appingatur creta.

**Petrus:** In calceum fige mihi cretæ lineam.

**Gysbertus:** Demum adiice foveis pilam.

**Petrus:** Nunc tuæ intrudam foveæ.

**Gysbertus:** Si feceris, te primum proiiciam.

**Petrus:** Vidén’? age quæ lubet.

**Gysbertus:** Fuge, aut te iactu petam.

**Petrus:** Si audes, iacias.

**Gysbertus:** Audeo maiora, en, tactus es.

**Petrus:** Et te rursus ad suras læsi.

**Gysbertus:** Vix credo, nam sensi penitus nihil.

---

# De Ludo globorum missilium, quos Omnia vocant Colonienses tyrunculi literarii.

**Cornelius** & **Iacobus**.

**Cornelius:** Non decet aliis ludentibus nos ita defidere.
**Iacobus:** Præstat spectatorem esse, quàm ignavum collusorem.
**Cornelius:** Auspicemur et nos duo ludum cognitum.
**Iacobus:** Quem agemus consulis ludum?
**Cornelius:** Globularem.
**Iacobus:** Cum globulis quos Omnia vocant?
**Cornelius:** Impolitum est istud verbum.
**Iacobus:** Nosti tu aliud venustius?
**Cornelius:** Ipse dicerem globulos missiles per pollices.
**Iacobus:** Et istam memoria recondam orationem.
**Cornelius:** Fiat fossiculus, in quem globuli mittantur.
**Iacobus:** Tibi culter est, effode terram.
**Cornelius:** Præscribe tu ludi carceres.
**Iacobus:** Hoc signo ligneolo.
**Cornelius:** Præmitte tu globulum, ego deinde.
**Iacobus:** En istic me ferias.
**Cornelius:** Si possum, non sinam te ibidem durare.
**Iacobus:** Te expectabit globulus.
**Cornelius:** Vides? ubi nunc sistis?
**Iacobus:** Semel sum à te propulsus, id nihil æstimo.
**Cornelius:** Denique tria vici, tu nondum lucratus es.
**Iacobus:** Istis tribus nihil addes lucri.
**Cornelius:** Res ipsa loquetur.

**Iacobus:** Quibus Fortuna prius aspirat, tandem adversatur.

**Cornelius:** Mox sex numerabo.

**Iacobus:** Ipse præveniam te.

**Cornelius:** Ah, nunc mihi timeo.

**Iacobus:** Ecce et mihi tria sunt.

**Cornelius:** Ego rursus tribus te excello.

**Iacobus:** Non diu numero superior manebis.

**Cornelius:** Istud experiar.

**Iacobus:** Tuis conatibus ipse obsistam.

**Cornelius:** Enitere quantum potes.

---

# De Ludo globorum qui torquentur per anulum.

**Udalricus** & **Vinandus**.

**Udalricus:** Eamus deambulatum rus versus.
**Vinandus:** Ruri quid tractabimus?
**Udalricus:** Ibi et ambulando, et colludendo nos oblectabimus.
**Vinandus:** Quod ludi genus exercebimus?
**Udalricus:** Torquebimus globum per anulum ferreum.
**Vinandus:** Age, propere eamus.
**Udalricus:** Sed audi, in ludo globi anularis peritior me es.
**Vinandus:** Rarus certè ipsum exerceo.
**Udalricus:** Attamen videbo quid et ego possim.
**Vinandus:** Globum prome.
**Udalricus:** En tibi ferreum anulum, terræ infige.
**Vinandus:** Flagellum et mihi præbe.
**Udalricus:** Sortiemur, quis prius ludet.
**Vinandus:** Ego cultrum sursum iaciam, tu elige.
**Udalricus:** Seligam alterum cultelli latus, signum ubi impressum est.
**Vinandus:** Latus planum sursum vergit, exordiri est meum.
**Udalricus:** Age, placet, incipe.
**Vinandus:** Ictu primo globum per anulum pellam.
**Udalricus:** Si feceris eris mihi magnus Apollo.
**Vinandus:** Ridere sine, videbis me virum.
**Udalricus:** Ah, ah, nondum te expertum aspicio.
**Vinandus:** Nescis verbum Vergilii. neminem ubique felici ludere dextra?
**Udalricus:** Ut ego, ita per anulum agitares globum.
**Vinandus:** Robur tibi est maius quàm mihi.

**Udalricus:** Hic non robur, sed et promptitudo valet.

**Vinandus:** Nunc bellè anulum penetrabit.

**Udalricus:** Vel à latere præteribit.

**Vinandus:** Istud ipsi prohibebo.

**Udalricus:** Clausis oculis aptius te luderem.

**Vinandus:** Verbis tu magnus es, sed factis nullus.

---

# De Ludo Saltus.

**Georgius** & **Volfgangus**.

**Georgius:** Ô vos ciconiarum proles.

**Volfgangus:** Sumus proles ciconiarum?

**Georgius:** Estis, quia longissima habetis crura.

**Volfgangus:** Hoc tua nihil refert.

**Georgius:** Si audetis, ego pomilio unum quemvis vestrûm ad saltandum lacesso, et provoco.

**Volfgangus:** Et ipse in arenam tecum descendam.

**Georgius:** Hoc saltandi more me imitare.

**Volfgangus:** Præsileas, faciam periculum.

**Georgius:** Ter solùm salias post cursum factum.

**Volfgangus:** Metam signa lapide aut ligno.

**Georgius:** En, hîc constiti.

**Volfgangus:** Eam facilè assequar metam.

**Georgius:** Id post cursum iactita.

**Volfgangus:** Nunc viri aspice saltum.

**Georgius:** Ah, saltum indignum iuvene tali.

**Volfgangus:** Pro viribus conatus sum.

**Georgius:** Vires tibi (ut video) sunt imbecilles.

**Volfgangus:** Rursus experiar quid possim.

**Georgius:** Semel vici, non alterum tibi concedam saltum.

**Volfgangus:** Si nunc non assequor metam, palmam dabo.

**Georgius:** Lubens permitto, tandem tenta.

**Volfgangus:** Vides me penè assecutum metam tuam?

**Georgius:** Assecutus es, sed non longius transponis.

**Volfgangus:** Sat est quòd attigi.

**Georgius:** Denuò tibi consequendam ponam metam aliam.

**Volfgangus:** Vix remotius collocabis.

**Georgius:** Puderet me si non qualibet vice distantius saltarem.

**Volfgangus:** Te virum dicam, si ostenderis.

**Georgius:** Vides? penè prolongassem.

**Volfgangus:** Quod penè fit (ut vulgò dicitur) id tamen non consequitur votum.

---

# De certamine cursus.

## **Gerardus** & **Crato**.

**Gerardus:** Cessemus oro de hoc ludo torquendi globum per anulum.
**Crato:** Repetemus tum ædes nostras?
**Gerardus:** Ut visum fuerit vobis.
**Crato:** Esset nimis tempestivum.
**Gerardus:** Ludi aliud genus incipiamus.
**Crato:** Quale æstimas auspicandum?
**Gerardus:** Mihi ex diutino inflexu genua dolent.
**Crato:** Eò præstaret in gramine decumbere.
**Gerardus:** Id me puderet, sed currendo ipsa reficiam.
**Crato:** Hoc fatigat, non recreat.
**Gerardus:** Currere vires excitat, quas enervavit torpor.
**Crato:** Multi currendo crura infregerunt, qui torpendo tuti fuissent.
**Gerardus:** Equi in stabulis diutius sistendo, crurum vires amittunt.
**Crato:** Aliud equis et homini competit.
**Gerardus:** Quemlibet vestrum ad parem cursum irrito.
**Crato:** Et ego currendo tecum palæstram ineo.
**Gerardus:** Aliquo pretiolo curremus.
**Crato:** Quid deponemus?
**Gerardus:** victus pendet binas vini mensuras.
**Crato:** Mensuras cervisiæ, non vini exolvet.
**Gerardus:** Ut lubet, qui primus portæ adfuerit, vicit.
**Crato:** Sed unà cursum inchoëmus.
**Gerardus:** Adsis, meo adsta lateri: dum clamavero, curremus alacriter.
**Crato:** Asto, curre, non retine me veste.

**Gerardus:** Ho, ho, vici, vici.

**Crato:** Nisi cecidissem, me non præcurrisses.

**Gerardus:** Gaudeo me evicisse te: utcunque primus attigi metam, id refert nihil.

**Crato:** Facile est vincere solum currentem.

**Gerardus:** Fortuna victoriam largiri solet.

---

# An ille sit doctus semper (ut putant rustici) qui magnos potest legere libros.

**Philippus** & **Hieronymus**.

**Philippus:** In doctissimi hominis ædibus nunc fui.

**Hieronymus:** Doctissimi! age, quis iste est?

**Philippus:** Ecclesiæ nostræ rector, quem vulgus pastorem appellitat.

**Hieronymus:** Proh, istum doctissimum existimas?

**Philippus:** Non magnæ esset eruditionis, cùm grandes legat et habeat libros!

**Hieronymus:** Librorum acervus et pretiositas doctum non arguit virum.

**Philippus:** Vulgus tamen persuasum habet, grandium librorum lectorem, peritum admodùm esse.

**Hieronymus:** Toto errat cœlo id credendo.

**Philippus:** Errorem illum mihi ostende.

**Hieronymus:** Multi libros habent, quos neque legunt, neque lectos intelligunt.

**Philippus:** Quare tunc eos mercati sunt?

**Hieronymus:** Ut se exornent, tanquàm oppidò gnaros.

**Philippus:** Stulti qui pecuniam non retinent.

**Hieronymus:** Emendo librorum supellectilem docti sibi nomen conciliant.

**Philippus:** Si hoc scirem, doctum me vocatum iri, tota re paterna libros emerem.

**Hieronymus:** Apud populum philosophus dicereris.

**Philippus:** Utrum præstare credis, complures habere libros, et indoctum esse, vel peritum, et pauculos libros?

**Hieronymus:** Peritum esse prævalet, et modicos possidere codices.

**Philippus:** Peritia è memoria citò elabiter, in libris autem diutius durat.

**Hieronymus:** Præstantius tamen est (ut inquit Erasmus) ingenium habere doctum, quàm libros eruditos.

**Philippus:** Sed è memoria elapsa scientia, ubi rursus acquiretur, si copia librorum deerit?

**Hieronymus:** Ubique extant bibliothecæ literariæ.

---

# De præceptore eligendo.

**Antonius** & **Ioannes**.

**Antonius:** Es tu in hoc ludo literario duraturus longius?

**Ioannes:** Minimè, sed aliò me conferam.

**Antonius:** Quò locorum?

**Ioannes:** Ubi melius erit consultum meo profectui in literis?

**Antonius:** Vide ne præstantiora quærens, viliora incidas.

**Ioannes:** Providebo strenuè.

**Antonius:** Sed nosti quis sit præceptor eligendus?

**Ioannes:** Instar cæci, qui mihi arridet, illi me subdo.

**Antonius:** Ementium haberes morem, qui nihil emunt, nisi diu antè perspectum habeant.

**Ioannes:** Præceptorem, ut rem vænum expositam, licétne perspicere?

**Antonius:** Duo sunt, per quæ præceptor utrisque (ut aiunt) brachiis amplexandus cognoscitur.

**Ioannes:** Quæ illa sunt? edissere precor.

**Antonius:** Si eruditè docet, et discipulos literatos reddit.

**Ioannes:** Eruditionem præceptoris ignoti quomodo percipiam?

**Antonius:** Audiendo eum docentem, vel alios de ipso consulendo.

**Ioannes:** Ego indoctus iudicii sum expers.

**Antonius:** Peritiores, qui vir sit, facilè tibi ostendent.

**Ioannes:** Iudicántne etiam discipuli de præceptoris industria?

**Antonius:** Hæres in illo? nescis proverbium vulgò usurpatum. Discipuli doctrinam ex præceptoris pendêre peritia?

**Ioannes:** Audivi interdum, Qualis præceptor, tales et fieri discipulos.

**Antonius:** Quid tum adhuc suspenso es animo?

# An Præceptor literarius fit colendus tanquàm parentes.

**Iacobus** & **Laurentius**.

**Iacobus:** Ut ita erga præceptorem te habes?

**Laurentius:** Tua quid refert?

**Iacobus:** Nihil.

**Laurentius:** Quid ni? tum sileas.

**Iacobus:** Iniquum videns, tacere nequeo.

**Laurentius:** Est istud iniquum, obloqui præceptori?

**Iacobus:** Certè parum decet.

**Laurentius:** Par pari referre licet.

**Iacobus:** Præceptori non reluctandum, sed tacendum est.

**Laurentius:** Dico ut tu, iniqua obticere nequeo.

**Iacobus:** Taciturnitas decorat iuvenem, præcipuè ad præceptoris verba.

**Laurentius:** Vecors esset, qui ad plagas obmutesceret.

**Iacobus:** Qui obmurmurat, plus ictuum recipit.

**Laurentius:** Iuvat me tamen verbis ulcisci, si factus non conceditur.

**Iacobus:** At miserum est verbis emere verbera.

**Laurentius:** Istas parui pendo plagas.

**Iacobus:** Illi infelicis ter succedit, qui præceptorem non veneratur.

**Laurentius:** Talem hominem quis veneraretur?

**Iacobus:** Sit fortunæ cuiuscunque, denique præceptor noster est.

**Laurentius:** Non diu sibi discipulus ero.

**Iacobus:** De tuo non plorabit discessu.

**Laurentius:** Et ego gaudebo me ab eo liberari.

**Iacobus:** Præceptores non secus ac parentes sunt colendi.

**Laurentius:** Sanè per Herculem, id ego feci nunquam.

**Iacobus:** Ego autem maiori amore præceptorem, quàm parentes sum prosecutus.

**Laurentius:** Ô ingrate parentibus!

**Iacobus:** Præceptor scientiam mihi præbet, quod nequeunt parentes.

**Laurentius:** Ab ipsis autem vitam habes, et quòd homo es.

**Iacobus:** Id parum est: quid enim vita est sine literarum peritia?

**Laurentius:** Nescis, vita nihil est nobilius?

**Iacobus:** Sed vita nostra, imperiti si fuerimus, non vita, sed mors est verius, si quid Aristoteli fidei datur.

---

# De Nundinis & munerum Nundinariorum emptione.

**Severinus** & **Balthasar**.

**Severinus:** Vidisti, quàm fervidè tentoria erigunt mercatores?

**Balthasar:** Vidi, quid deinde?

**Severinus:** Nundinarum appetunt feriæ.

**Balthasar:** In illo mihi nihil metitur.

**Severinus:** Sed ipse nonnihil commodi spero.

**Balthasar:** Quo nomine?

**Severinus:** Ab amicis munera nundinaria expecto.

**Balthasar:** Ah, expectare miserum est.

**Severinus:** Satius tamen expectare, quàm nihil habere spei.

**Balthasar:** Qui spe vivit, miseram agit vitam.

**Severinus:** Non omnes spe frustrantur.

**Balthasar:** Plures certè quàm voti compotes fiunt.

**Severinus:** Nundinaria munera quotannis his nundinis mihi largiuntur affatim.

**Balthasar:** Fortunatior me es, cui non teruntius datur.

**Severinus:** Tu alienus es, ego incola et civis sum.

**Balthasar:** Si in patria agerem, etiam de nundinis gauderem.

**Severinus:** Expecto nunc, et calceos, et tiaram me accepturum.

**Balthasar:** Quis ista ubi mercabitur?

**Severinus:** Cognati et agnati mei, qui ex alienis adsunt oppidis.

**Balthasar:** Vide, ne mercimoniis impediti tui obliviscantur.

**Severinus:** Ego ipsos sæpe admoneo, et interpello.

**Balthasar:** Rogare mendicorum est.

**Severinus:** Non stipem rogo, sed munus nundinarum.

**Balthasar:** Parum interest.

**Severinus:** Sit utcunque, ego lubens accipio ea munuscula.

**Balthasar:** Certè desiperes, si data recusares.

---

# De Nundinis Francfordiensibus.

## **Gysbertus** & **Andreas**.

**Gysbertus:** Nautæ nunc suas instruunt naves passim.

**Andreas:** Quò concessuri sunt?

**Gysbertus:** Francfordiam versús.

**Andreas:** Appropinquátne tempus nundinarum?

**Gysbertus:** Mox in foribus erit anteà, quam isthuc venient.

**Andreas:** Non putassem adhuc eas pulsare fores.

**Gysbertus:** Ô quam vellem et me istuc posse concedere.

**Andreas:** Ibidem tibi quid exequendum esset.

**Gysbertus:** Præter quam ignota perlustrarem loca, prorsus nihil.

**Andreas:** Pigrior ego essem, quàm quòd eò tenderem, ubi nihil esset quod agerem.

**Gysbertus:** Dulce est peragrasse varias urbes.

**Andreas:** Præstat tamen quandoque in patria mansisse.

**Gysbertus:** Francfordiam Hercule accederem, nisi aliqua memorarentur.

**Andreas:** Quæ te detinent?

**Gysbertus:** Sanè multa, præcipuè tamen duo.

**Andreas:** Quæ illa sunt?

**Gysbertus:** Primùm viatici carentia.

**Andreas:** Num id pater tibi suppeditaret?

**Gysbertus:** Nimio constat, ego iuvenis quantum ipse sumptus in diversoriis facerem?

**Andreas:** Fidem do, sed quod est alterum impedimentum?

**Gysbertus:** Dicunt in itinere eum, cui nunquam visa est Francfordia, tractari ut asinum inter simias.

**Andreas:** Et istud nonnunquàm vidi quomodo aquæ immergebantur.

**Gysbertus:** Post illud et multantur credo pecunia.

**Andreas:** Fortè aureum insumunt convivio, id parum est.

**Gysbertus:** Certè non parum est, quia difficile acquisitu est pecunia.

**Andreas:** Tibi et tui similibus nihil obest.

---

# De vitando mendacio.

## **Evergissus** & **Hermannus**.

**Evergissus:** Nostra non diu amicitia constabit.
**Hermannus:** Mali quid ipsam infrigeret?
**Evergissus:** Mentiri assuescis.
**Hermannus:** Mentiri ioco ferendum est.
**Evergissus:** Anguem minus odi, quàm mendacium.
**Hermannus:** Loqueris tu semper certa?
**Evergissus:** Aut sileo, aut quæ mihi constant, loquor.
**Hermannus:** Iocarísne interdum?
**Evergissus:** Etiam sæpissimè.
**Hermannus:** Quî iocari potes, si vero inniteris?
**Evergissus:** Nequit iocus per verum, credis, fieri?
**Hermannus:** Verum mordere solet, et odium párere.
**Evergissus:** Deleclátne tum sermo falsus?
**Hermannus:** Nugæ quantò maiores, tantò exhilarant uberius.
**Evergissus:** Frugi homines falsitate et mendacio non capiuntur.
**Hermannus:** Non omnes sunt Solones, ut tu.
**Evergissus:** Probi veritate sola tenentur.
**Hermannus:** Attamen quandoque dum carpuntur, inviti eam recipiunt.
**Evergissus:** Mendacio detestabilius in homine nihil esse potest.
**Hermannus:** Lusorem, vel furem, vel latronem esse adhuc gravius est.
**Evergissus:** Ah, minimè, longè ista excedit mentiri ipsum.
**Hermannus:** Credat hoc Iudæus apella.
**Evergissus:** Qui mentiri audet, nihil sceleris intentatum relinquit.
**Hermannus:** Ô tu mendacii contemptor.

**Evergissus:** Vulgò fertur, Furari mendacium comitatur.

**Hermannus:** Vulgi non est innitendum sententiæ.

---

# De confessione.

**Thomas** & **Iodocus**.

**Thomas:** Recensuistíne sacerdoti peccata tua?

**Iodocus:** Nondum.

**Thomas:** Quando exequêris istud muneris?

**Iodocus:** Adhuc sat restat temporis.

**Thomas:** Peracto autem opere, dulce est quiescere.

**Iodocus:** Etiam ante laborem quies est iucunda.

**Thomas:** Sed non adeò delectat ut negotio executo.

**Iodocus:** Assentio.

**Thomas:** Ego nunc confessum eo.

**Iodocus:** Comitabor te.

**Thomas:** Cui soles delicta enarrare, an plebeiario nostro?

**Iodocus:** Feci nunquam, sed semper cuipiam monachorum.

**Thomas:** Istud et mihi est moris.

**Iodocus:** Apud illos plus mihi est devotionis.

**Thomas:** Et illi ipsi pecuniæ nihil expetunt.

**Iodocus:** Aliquid eorum tamen acciperent, si daretur.

**Thomas:** Timésne etiam sacerdoti peccata denudare?

**Iodocus:** Metuebam olim puer, nunc non.

**Thomas:** Metum quid tibi incutiebat?

**Iodocus:** Dicebatur passim, quòd uni à confessore fronti clavus infigeretur.

**Thomas:** istud et ipse audivi, sed credebam nunquam.

**Iodocus:** Confiteris tu ex chartula?

**Thomas:** Confiteor, aliâs timor omnium mihi induceret peccatorum

oblivionem.

**Iodocus:** Prohibent tamen istud nonnulli confessionem audientes.

**Thomas:** Timent ne perdatur schedula, verùm eam deinde ilico comburo.

**Iodocus:** Latinéne reddis confessionem?

**Thomas:** Non, sed Germanicè loquor.

**Iodocus:** Confessor quadam vice nolebat à me Romanum audire sermonem.

**Thomas:** Fortassis pessimè intellexit.

**Iodocus:** Certe parum doctus fuit.

---

# De cœna suprema CHRISTI cum discipulis, & de die Parasceues.

**Vincentius** & **Matthias**.

**Vincentius:** Nunc post triduum Pascha præsto erit.
**Matthias:** Verùm, sed illud triduum nondum lapsum est.
**Vincentius:** Elabetur denique citius, quàm dies esuriales hactenus acti.
**Matthias:** Magis autem et acerbius nunc esuriendum est.
**Vincentius:** Id refert nihil, carceri incluso egendum esset cibo.
**Matthias:** Ibi necessitas eum urgeret.
**Vincentius:** Hi dies tres mihi abibunt pernicissimè.
**Matthias:** Quo delicio eos transiges?
**Vincentius:** Spe vescendi ovis paschalibus (ut vulgò fertur) post ipsos.
**Matthias:** Pulchrè dicis, nam spes quandoque levat adversa.
**Vincentius:** Ubi hodie intereris pedum lotioni?
**Matthias:** Cœnobium aliquod religiosorum accedam.
**Vincentius:** Quorum?
**Matthias:** Incertus sum, quocunque venero.
**Vincentius:** Expectas aliquem bolum opiparum?
**Matthias:** Utique in quibusdam cœnobis mensæ accumbitur.
**Vincentius:** Cui monasterio soles interesse hoc die?
**Matthias:** Antonio divo dicatis ædibus.
**Vincentius:** Ibidem quid consequêris lucri?
**Matthias:** Placentas duas triticeas.
**Vincentius:** Accumbit quilibet istuc veniens mensæ?
**Matthias:** Assidet, et ante ipsùm calix vini ponitur.
**Vincentius:** Et quot placentæ?

**Matthias:** Cuilibet duæ, deinde una inter duos, de quo rodunt ut sitim excitent.

**Vincentius:** Defert quisque duas secum domi.

**Matthias:** Quidni?

**Vincentius:** Quoties calices vino replentur?

**Matthias:** Tribus (ni fallor) vicibus.

**Vincentius:** Lavantúrne ibi pedes?

**Matthias:** Religiosis, sed advenis dextra manus.

**Vincentius:** Quis CHRISTI munus exequitur?

**Matthias:** Cœnobii antistes, quem vulgus præceptorem appellat, vir nostra ætate verè literatorum Mœcenas.

---

# De sumptionis Eucharistiæ præparatione.

**Antonius** & **Michael**.

**Antonius:** Hoc vesperi si lubet tibi, unà modicè bolum unum aut alterum edemus.

**Michael:** Edere mihi non licet.

**Antonius:** Es fortè cras sacrum CHRISTI corpus manducaturus?

**Michael:** Ita stat sententia, si dignè possem.

**Antonius:** Bolus ac haustus unus vini te nihil impediet.

**Michael:** Nonnihil edam, ne deficiam corpore.

**Antonius:** Quo modo te parare soles ad synaxim sumendum?

**Michael:** Vesperi os colluo aqua, et eximo si quid cibi inhæret dentibus.

**Antonius:** Præstaret cor à peccandi voluntate purgare.

**Michael:** Quantum possum ne id negligo.

**Antonius:** Ad dignè manducandum id confert oppidò.

**Michael:** Compertum habeo.

**Antonius:** Difficilimum est voluntatem peccandi radicitus excutere.

**Michael:** Fit facile, si Dei precati fuerimus opitulamen.

**Antonius:** Istud sedulò invoco.

**Michael:** Tum confide sacramenti sumptionem tibi saluti futuram.

**Antonius:** Nosti quid facies, si hostia summo adhæserit palato?

**Michael:** Scio, potu depono, non digito detraho.

**Antonius:** At, quàm diu corpus CHRISTI in nostro manet ventre?

**Michael:** Quousque hostiæ materia fuerit decocta.

**Antonius:** Estne expuendum illo die in terram?

**Michael:** Ante cibum sumptum vitandum est.

**Antonius:** Licebit tum prandio peracto?

**Michael:** Concedetur: satius tamen esset (vulgi sententia) in parietem sputum emittere.

---

# De more post Gymnasia trivialia accedendi scholas præcelsas, quas bursas appellant.

**Vinandus** & **Crato**.

**Vinandus:** Præceptor erit nobis in prandio conviva.
**Crato:** Vocarunt eum parentes tui?
**Vinandus:** Ego ipsum heri nomine parentum invitavi.
**Crato:** Cuius rei gratia?
**Vinandus:** Id homo linguax mox dixisset.
**Crato:** Tu loquace non es præstantior.
**Vinandus:** Expetis scire causam?
**Crato:** Utique cupio.
**Vinandus:** Mea fit causa.
**Crato:** Facile persuadebis mihi.
**Vinandus:** Mercedem mea instructionis ei pendet pater.
**Crato:** Hoc ipsum oblectabit.
**Vinandus:** Sed aliud audiet, unde dolebit.
**Crato:** Loquentúrne ei parentes tui lapides?
**Vinandus:** Dicent me ferulæ alterius subditurum manus.
**Crato:** In quónam Gymnasio militabis?
**Vinandus:** Non in triviali, sed ubi studentes agunt nudis capitibus.
**Crato:** In bursáne?
**Vinandus:** Ibidem scilicet.
**Crato:** Cur nostram deseris palæstram literariam?
**Vinandus:** Pudet me grandævum assiderè tyrunculis literariis.
**Crato:** Non puduit tamen Iudæos assidere puero Iesu.
**Vinandus:** Etiam ætas mea exigit, ut graviora petam studia.

**Crato:** Vide ut primam et rudem prius calleas eruditionem.

**Vinandus:** Si quid meis defuerit rudimentis, tempus addet.

**Crato:** Sed forsan non omnis schola.

**Vinandus:** Noli mihi tutor esse.

**Crato:** Nostíne cur Gymnasia ista Philosophica Bursæ vocentur?

**Vinandus:** Doceas me, auscultabo.

**Crato:** A bursa (quod nonnullis crumena est) quia crumenam exigunt.

**Vinandus:** Quî hoc?

**Crato:** Quia gradus inanium nominum magno in ipsis veniunt.

---

# De deponendis (ut aiunt) cornibus Beanitatis.

**Petrus** & **Urbanus**.

**Petrus:** Heus tu, audistíne unquam proverbium, Odit figulus figulum?

**Urbanus:** Hisce hausi auribus sæpiusculè.

**Petrus:** Nosti quid velit?

**Urbanus:** Novi diutissimè.

**Petrus:** Explica ut audiam.

**Urbanus:** Id est, quisque artis suæ odit rivalem.

**Petrus:** Hæc inter deditos literis etiam est simultas?

**Urbanus:** Est inter studentes et nos, quos Beanos vocant.

**Petrus:** Credísne tu, cornua nos gerere, ut ipsi garriunt?

**Urbanus:** Ignoro, nam meipsum non nosco.

**Petrus:** Nemo persuadebit mihi.

**Urbanus:** Ipsi tamen dicunt, et se olim ea habuisse.

**Petrus:** Nugantur et nos hircum olêre.

**Urbanus:** Istud est facilius creditu.

**Petrus:** Ais et tu, unde coniicis?

**Urbanus:** Sordemus à frustis panis delinitis, quæ sæpe ad diem in sinu gessimus.

**Petrus:** An nos liberant ab bis duobus vitiis, dum cornua nobis tollunt?

**Urbanus:** Sic habet fides ipsorum.

**Petrus:** Fides ista vanior est mulierum credulitate.

**Urbanus:** Ipse fortassis brevi experiar.

**Petrus:** Tollentur tibi cornua?

**Urbanus:** Auferentur simul et sordities.

**Petrus:** Ô si liceret me esse spectatorem.

**Urbanus:** Ego quoque spectare mallem, quàm ferre.

**Petrus:** Vidistín’ quandoque spectaculum istud?

**Urbanus:** Nusquam integrè.

**Petrus:** Tractabunt te ut asinum inter simias.

**Urbanus:** Iaciam aleam, non tamen de capite agitur.

---

# Quòd difficile et amarum sit, à tepefacto surgere lecto.

**Cornelius** & **Petrus**.

**Cornelius:** Ah, si licet nobis diutius stertere.
**Petrus:** Hoc et ego optarem.
**Cornelius:** Me sopor oppidò adhuc gravat.
**Petrus:** Et mihi oculi sunt constricti.
**Cornelius:** Sputo ipsos linias, et aperientur.
**Petrus:** Proderítne?
**Cornelius:** Fac periculum et percipies.
**Petrus:** Incipio uti visu.
**Cornelius:** Sed surgemúsne?
**Petrus:** Tuæ me subscribam sententiæ.
**Cornelius:** Frigus est acre.
**Petrus:** Sensi dum è lodice extendi manum.
**Cornelius:** Præstaret nido tepido immorari, quàm à cubitu resurgere.
**Petrus:** Probè mones.
**Cornelius:** Frigus non minus ac culter lædit.
**Petrus:** Istud nasus meus et manus loquuntur.
**Cornelius:** Pauxillum temporis adhuc sub centone agemus.
**Petrus:** Hoc si tacuisses, protulissem.
**Cornelius:** Interulam et caligas sub lodicem pone, quò incalescant.
**Petrus:** Hac nocte indusio indormivi.
**Cornelius:** Nequeo somnum capere, nisi totus me exuero.
**Petrus:** Ô delicias hominis!
**Cornelius:** Aiunt inde vermes gigni, si diu noctúque vestes corpori

adhæserint.

**Petrus:** Expers metus illius sum, quia sæpe muto lineum indumentum.

**Cornelius:** Sat nugatum est, surgendum est tandem.

**Petrus:** Hui, vellem me indutum esse.

**Cornelius:** Festinemus, nos cingendo vestibus.

**Petrus:** Age, uter citius erit instructus.

**Cornelius:** Caligæ me morantur.

**Petrus:** Et ego calceos non reperio.

---

# De profectione in peregrinæ urbis gymnasium literarium.

**Erasmus** & **Adolphus**.

**Erasmus:** Salve sodalium iucundissime.

**Adolphus:** Salve et tu quoque.

**Erasmus:** Quomodo tibi convenit cum parentibus tuis?

**Adolphus:** Quî tu istud quæritas?

**Erasmus:** Eô, quia ipse apud meos longius durare nequeo.

**Adolphus:** Nolunt te alere?

**Erasmus:** Alerent me bene, sed nunquàm tranquillè.

**Adolphus:** Fortè plagis te sæpe domant.

**Erasmus:** Non, sed me semper inscitiæ arguunt.

**Adolphus:** Unde ipsi tuæ peritiæ periculum habent?

**Erasmus:** Mater æstimat me iuxtà inscium manere.

**Adolphus:** More Andabatarum id fortassis coniicit.

**Erasmus:** Ideò aliò me conferam è patria.

**Adolphus:** Exulabísne?

**Erasmus:** Invisam quid aliis in urbibus rerum geratur.

**Adolphus:** Sed fac ut cruditior redeas.

**Erasmus:** Omne movebo saxum.

**Adolphus:** Id decet: nam patriam regredi imperitum, extremum est vitiorum.

**Erasmus:** Accinge te, mecum proficiscere.

**Adolphus:** Placeret mihi, si parentibus visum esset.

**Erasmus:** Non posses scio à matre abesse.

**Adolphus:** Quî hoc nosti?

**Erasmus:** Nonnunquàm mammillas te sugere oportet.
**Adolphus:** Assem sumerem, et matris devoverem conspectum.
**Erasmus:** Si tibi liberum fuerit, hoc vesperi mihi adsis.
**Adolphus:** Dabis nobis monimentum discessus?
**Erasmus:** Largiar, et cras prima luce hinc anchoram solvam.
**Adolphus:** Precabor parentes meos, quò convenire liceat.
**Erasmus:** Istud facito et venias, bellos homunculos agemus.
**Adolphus:** Si per parentes potuero, non emanebo.

---

# Quando quis satis scientiæ habeat, vel sciat.

## **Ioannes** & **Iacobus**.

**Ioannes:** Tu veterane miles, assides adhuc libris?

**Iacobus:** Aliud nihil agere possum commodius.

**Ioannes:** Tranquillam nunc sumeres vitam, otiando et potando.

**Iacobus:** Nulla mihi tranquillior est vita, quàm literaria.

**Ioannes:** Satis nunc scientiæ habes.

**Iacobus:** Scientias vix prioribus labiis attigi.

**Ioannes:** Nunc tuum ipsius encomium taces.

**Iacobus:** Loquor quod res est.

**Ioannes:** Tamen omnes tuos commilitones peritia excellis.

**Iacobus:** Facile est amusos præcellere.

**Ioannes:** Si tua mihi esset eruditio, libros rarò salutarem!

**Iacobus:** Tum certè tibi ipsi imponeres.

**Ioannes:** Non moror philosophiæ fastigium.

**Iacobus:** Et ego nollem aliis esse imperitior.

**Ioannes:** Precor edissere, quando quis satis scientiæ habeat?

**Iacobus:** Quod quæris, mei ingenii vires excedit.

**Ioannes:** Respondeas saltem, quantum per Minervam potueris.

**Iacobus:** Respondeo, quando nihil ignorat.

**Ioannes:** Tuo iudicio (ut audio) nullus fieret doctus.

**Iacobus:** Non capio quid velis.

**Ioannes:** Quia illi qui habentur passim eruditi, adhuc multa ignorant, ut artes ipsas manuarias.

**Iacobus:** Nescire illas literis deditum refert nihil.

**Ioannes:** Speras etiam te olim consecuturum scientiæ metam?

**Iacobus:** Si Nestoris audio sententiam, tunc nunquam.

**Ioannes:** Quid Nestor dixit de scientiarum meta?

**Iacobus:** Retulit se et senem fieri, et in dies prius ignota discere.

**Ioannes:** Quem Plato literatum censuit?

**Iacobus:** Eum, qui omnium scientiarum esset utcunque gnarus.

---

# De more standi ad cyathos.

**Adrianus** & **Christophorus**.

**Adrianus:** Ô quàm occupatissimi omnes cras erimus domi nostræ!

**Christophorus:** Unde istæ occupationes?

**Adrianus:** Permulti apud nos prandebunt.

**Christophorus:** Facient tui parentes soli sumptum?

**Adrianus:** Utique, solemus hoc die annuo vicinos excipere convivio.

**Christophorus:** Gentiles Romanos imitamini.

**Adrianus:** Solebántne et illi inter se solenne agitare convivium?

**Christophorus:** Solebant, si Valerio Maximo credatur.

**Adrianus:** Et quos invitabant?

**Christophorus:** Solos amicos.

**Adrianus:** Apud pocula quid tractabant?

**Christophorus:** Anni spatio inter se ortam invidiam leniebant.

**Adrianus:** Ni fallor, et ea gratia nobis mos ille est.

**Christophorus:** Facilè credidero.

**Adrianus:** Mihi autem cras plus aliis sudandum erit.

**Christophorus:** Quod tibi commendatur munus?

**Adrianus:** Aliis accumbentibus standum mihi erit ad cyathos.

**Christophorus:** Est illud tibi molestum?

**Adrianus:** Non molestum admodum, sed laboriosum.

**Christophorus:** Convivæ tibi interdum calices exorbendos dabunt.

**Adrianus:** Certè istas delicias non efflagito.

**Christophorus:** Tamen aliquorum palata iuvant.

**Adrianus:** Cantharus quo pocula impleo, et patinarium tollere, me

onerabunt.

**Christophorus:** Non licebit tibi fesso, alteri tradere in decursu lampadem?

**Adrianus:** Tum omnes me incusarent desidiæ.

**Christophorus:** Simulares te ægrotare.

**Adrianus:** Absit istud, quia tunc lautis privarer bolis.

**Christophorus:** Minimè, nescis delicatiora porrigi ægris?

---

# Quibus utendum verbis, dum vinum foris emptum, mensæ adfertur.

**Emericus** & **Chrysantus**.

**Emericus:** Quippiam te rogarem, si scirem non recusaturum.

**Chrysantus:** Si potuero, haud difficilis ero.

**Emericus:** Poteris facilè, si te non gravaverit.

**Chrysantus:** Gravabit me nequaquam, si præstare possum.

**Emericus:** Doceas me oro, quibus verbis vinum afferam mensæ, mercatum vel latum foris.

**Chrysantus:** Nihil ac lubens fecero.

**Emericus:** Loquere tu ut vinum afferens, ego ac mensæ accumbens respondebo.

**Chrysantus:** Faciam, tu vide commodè respondeas.

**Emericus:** Auspicare.

**Chrysantus:** Hoc vini prosit bibentibus.

**Emericus:** Et tibi afferenti.

**Chrysantus:** Istud vini bibentibus non obsit.

**Emericus:** Neque tibi adducenti.

**Chrysantus:** Vinum quod apporto, sit vobis omnibus salutiferum.

**Emericus:** Et tibi apportanti salutem præbeat.

**Chrysantus:** Merum hoc quod foris tuli, felix sit vobis potus.

**Emericus:** Neque infelix sit tibi nuntio.

**Chrysantus:** Hic Bacchicus potus vobis omnibus fortunatus sit.

**Emericus:** Talis sit et tibi id nobis precanti.

**Chrysantus:** Hoc vini Deus salubre faciat.

**Emericus:** Idem et tibi reddat.

**Chrysantus:** Felicissimo omine hæc Bacchica bibite munera.

**Emericus:** Et tu quoque felici auspicio de ipsis sumito.

**Chrysantus:** Has vineæ dotes opto vobis omnibus secundas.

**Emericus:** Gratiam habe, neque tibi sint minus salutiferæ.

---

# De modo sternendi mensam.

## **Crato** & **Valterus**.

**Crato:** Audín' tu horologium?
**Valterus:** Audio, quid inde?
**Crato:** Scis quota sonat hora?
**Valterus:** Æstimo nona.
**Crato:** Si addideris unam, vera loquêris.
**Valterus:** Sonat decimam?
**Crato:** Accelera tu domum versús.
**Valterus:** Tardus non ibo.
**Crato:** Appara mensam ante patris adventum.
**Valterus:** Timeo ne tam cito possim.
**Crato:** Veni, iuvabo te.
**Valterus:** Ah, leva mihi laborem.
**Crato:** Faciam, sed alia vice et me auxilio afficies.
**Valterus:** Experieris me diligentiorem quàm putas.
**Crato:** Linteum quo mensa sternitur, feras, ego panem quæram.
**Valterus:** Linteum nondum ab hesterna cœna evacuatum est.
**Crato:** Ilico effunde, si quid intus est quisquiliarum.
**Valterus:** En feci, mensam sterno.
**Crato:** Panis nondum est decorticatus.
**Valterus:** Ego celerrimè ipsum perpoliam.
**Crato:** Confero me eductum cervisiam.
**Valterus:** Vade vorans viam.
**Crato:** Rursus præsto sum.
**Valterus:** Quadras porrige.

**Crato:** Æreas, vel ligneas?

**Valterus:** Ligneas primúm.

**Crato:** Circinum in medium mensæ ponas.

**Valterus:** Tu talis sis memor.

**Crato:** Cuilibet quadræ frustum panis appone.

**Valterus:** Et tu singulis poculum adde cervisiæ.

**Crato:** Quid nunc restat?

**Valterus:** Calices vini elue.

**Crato:** Satis maturè istud fiet vino allato.

**Valterus:** Mox aderit qui vinum afferet.

---

# Miserum esse in prandio venire peracta fabula.

**Balthasar** & **Lyborius**.

**Balthasar:** Tu saltas nunc, ego potius flerem.

**Lyborius:** Fleres fortè siccis oculis.

**Balthasar:** Certè oculis madentibus.

**Lyborius:** Non tamen vapulas.

**Balthasar:** Aliud est quod mihi lachrymas excuteret.

**Lyborius:** Dum nihil est secreti, effare.

**Balthasar:** Esurie mihi crepitat venter.

**Lyborius:** Esuris tu à prandio?

**Balthasar:** Ieiuni est esurire.

**Lyborius:** Fortè nondum es pransus.

**Balthasar:** Non tantillum.

**Lyborius:** Denegabant tibi parentes victum?

**Balthasar:** Et à cibo et potu me arcebant.

**Lyborius:** Gravitérne eos offendisti?

**Balthasar:** Nihil commerui, nisi quòd mensa sublata, domum veni.

**Lyborius:** Ubi tam serus fuisti moratus?

**Balthasar:** Templa diversa obambulavi orandi gratia.

**Lyborius:** Vix tantum religionis tibi esse credo.

**Balthasar:** Devotionis nihil mihi vendico.

**Lyborius:** Sed age. cogitur ille esurire, qui post sumptum prandium venerit?

**Balthasar:** Ædes nostræ, peracta prandii fabula, nulli victum præbent.

**Lyborius:** Certè tum post Plaudite apud vos venire, miserum est.

**Balthasar:** Me hodie veniente domum, de prandio conclamatum fuit.

**Lyborius:** Non rursus tibi sternebatur mensa?

**Balthasar:** Nequaquam, sed fuste ego sternebar terram versús.

**Lyborius:** Saturaberis etiam inde?

**Balthasar:** Non in stomacho, sed in corpore plagis.

**Lyborius:** Ita nollem saturari.

**Balthasar:** Et ego esurire malo, quàm sæpe illo pasci cibo.

---

# De uvis carpendis.

## **Petrus** & **Cornelius**.

**Petrus:** Nosti quid sequenti hebdomada nobis incumbit laboris?
**Cornelius:** Carpemus uvas, ut opinor.
**Petrus:** Lubens faciam.
**Cornelius:** Ô quantum uvarum ego devorabo!
**Petrus:** Et ego illis non abstinebo.
**Cornelius:** Videndum tamen est, ne earum esus nobis malè cadat.
**Petrus:** Quî malè caderent?
**Cornelius:** Multi nocte lectum concacant.
**Petrus:** Novi aliquos qui caligas impleverunt ventris oleto.
**Cornelius:** Ego in die sæpe exonerabo aluum.
**Petrus:** Eris tum nocte liber, credis.
**Cornelius:** Spero.
**Petrus:** At in nocte primum fit digestio.
**Cornelius:** Ego postquàm cunas deferui, nunquàm lectum oleto fœdavi.
**Petrus:** Neque ipse, ut mater testis est.
**Cornelius:** Acuisti cultrum tuum?
**Petrus:** Heri subegi in coticula.
**Cornelius:** Per quot dies carpemus uvas?
**Petrus:** Nescio, istud copia vel turba decerpentium admonebit.
**Cornelius:** Si mensis spatio duraret, non me gravaret.
**Petrus:** Quid ais? omnium rerum est satietas.
**Cornelius:** Aliquot uvas celabo sub vestem, et domi deponam.
**Petrus:** Quò? ad arculam tuam?
**Cornelius:** Sic, et dum cubitum ibo, semper unam aut alteram edam.

**Petrus:** Ô tu delicati palati homo!

**Cornelius:** Partiar tecum, si apud matrem me non prodes.

**Petrus:** Harpocratem agam bellissimè.

**Cornelius:** Quam diu fortè solus fueris.

**Petrus:** Silebo bellissimè.

---

# De Cerasis.

## **Bartholomæus** & **Ægidius**.

**Bartholomæus:** Ho, ho, quid ego novi vidi.

**Ægidius:** quid? quid? exprime.

**Bartholomæus:** In foro quippiam vidi, quo gaudebam.

**Ægidius:** Audiam quid?

**Bartholomæus:** Matura cerasa.

**Ægidius:** Vix credo.

**Bartholomæus:** Sanè erant ligneolo cirumligata.

**Ægidius:** Quanti veniebant?

**Bartholomæus:** Ligneolum fortè viginti continens cerasa, teruntio vendebatur.

**Ægidius:** Tanti ego non edam cerasa.

**Bartholomæus:** Si nummus mihi esset, mercarer ilico.

**Ægidius:** Expecta, mox vilius venient.

**Bartholomæus:** Expectare vix queo, ita gula mihi prurit.

**Ægidius:** Eme ipsa, si æs in numerato habes.

**Bartholomæus:** Coëamus rogo solido.

**Ægidius:** Fiet posthac, dum minoris vendentur.

**Bartholomæus:** Timeo desinat cerasorum messis, antequàm me ipsis exaturavero.

**Ægidius:** Metuis ne cœlum ruat.

**Bartholomæus:** Quàm diu credis adhuc erit ipsorum mercatus?

**Ægidius:** Ad sesquimensem.

**Bartholomæus:** Nunc in cœlo sum, interim numatus evadam.

**Ægidius:** Istud mihi non est sperandum.

**Bartholomæus:** Colligis tu è cerasis nucleos?

**Ægidius:** Conservo utique.

**Bartholomæus:** At in quem usum? an tu par vel impar ludas?

**Ægidius:** Non, sed ut ipsos dem præceptori.

**Bartholomæus:** Locum tibi dicam, ubi permultos reperies nucleos ceraseos.

**Ægidius:** Ubinam?

**Bartholomæus:** In oleti reconditorio.

**Ægidius:** Istic tu eos lege.

**Bartholomæus:** Ego ipsis non egeo.

**Ægidius:** Et mihi satis magna illorum est copia.

---

# De Fabis, et cur sit proverbium, Fabis virentibus furiunt mori.

**Franciscus** & **Augustinus**.

**Franciscus:** Nunc virent campi, nunc formosissimus annus.

**Augustinus:** Haud falsa narras.

**Franciscus:** Segetes nunc adolescunt.

**Augustinus:** Mox adoleverunt.

**Franciscus:** Vidisti etiam et fabas virere?

**Augustinus:** Utique ante dies complusculos.

**Franciscus:** Sensisti etiam ipsas florere in capite tuo?

**Augustinus:** Quomodo fabarum germen caput meum perciperet?

**Franciscus:** Miraris hoc?

**Augustinus:** Admiror maximè, cùm in agris, non meo crescant capite.

**Franciscus:** Ah, certè ius fabarum nusquam magis, quàm in tuo cerebro oritur.

**Augustinus:** Cerebrum meum tamen non est satum fabis.

**Franciscus:** Æquè vis ipsarum ibidem refidet.

**Augustinus:** Quid vocas vim fabarum?

**Franciscus:** Vis earum est, obtusum reddere quod tangunt.

**Augustinus:** Fortè ingenia eorum qui ipsis vescuntur.

**Franciscus:** Sic: ideò Pythagoras iussit abstinere ab illis.

**Augustinus:** Vero non dissonat.

**Franciscus:** Habes compertum, cur dicatur, Fabis virentibus furere moros?

**Augustinus:** Proverbium scio, sed non causam.

**Franciscus:** Hæc est causa, quia per ipsa infatuata cerebra hominis

faciunt furere.

**Augustinus:** Tunc eas nunquam degustabo.

**Franciscus:** Etiam odore perceptæ gestire faciunt moros.

**Augustinus:** Nunc tutus esse nequeo.

**Franciscus:** Olfactum occlude alterius rei odore.

**Augustinus:** Cuius rei suades?

**Franciscus:** Oleti vetulæ aniculæ.

**Augustinus:** Id facito vice mea.

**Franciscus:** Ipse amoris sum liber.

**Augustinus:** Quî hoc?

**Franciscus:** Sæpe navigo Anticyras, et edo nasturcium.

---

# De Missa in dies audienda.

## **Bernardus** & **Conrardus**.

**Bernardus:** Quando è lecto tu te mane corripis?

**Conrardus:** Statutum mihi tempus non habeo.

**Bernardus:** Licet dum tibi ad tuum dormire nutum?

**Conrardus:** Hisce diebus quos sacros habemus.

**Bernardus:** Tranfigis tunc cubando longius tempus, quam alio die?

**Conrardus:** Etiam, quia plus per scholam vacat.

**Bernardus:** Matutinis sacrificiis non soles interesse?

**Conrardus:** Soleo, sed non nisi in præcipuis sanctorum festis et summis.

**Bernardus:** Diebus autem operosis quando à cubitu surgis?

**Conrardus:** Ad horam quintam.

**Bernardus:** Invisis ea hora scholam?

**Conrardus:** Non, sed templum accedo.

**Bernardus:** In templo quid exequeris?

**Conrardus:** Sacrificio missæ intersum.

**Bernardus:** Quotidiéne audis missam?

**Conrardus:** In dies certè, si licet per negotia.

**Bernardus:** Ego nunquàm, nisi die festo vel dominico.

**Conrardus:** Ideò etiam in literis nequis progredi.

**Bernardus:** Æstimas id esse causæ?

**Conrardus:** Scio veracissime.

**Bernardus:** Unde nosti?

**Conrardus:** Evangelium dicit, Si primùm quæsierimus regnum Dei, omnia nobis dabuntur.

**Bernardus:** Nonnullos tamen vidi peritissimos evadere, et rarissimè

ædem sacram inviserunt.

**Conrardus:** Fortuna illorum diu non durabit.

**Bernardus:** Quantumvis autem sciverunt, inopes tamen usque mansêre.

**Conrardus:** Sint tibi exemplo, et tu frequentius ora.

**Bernardus:** Faciam, tu tuæ admonitionis gratiam habeas.

**Conrardus:** Videbis pauxillulo temporis progressum ubique feliciorem te habiturum.

**Bernardus:** Parebo tuis iussis.

---

# Quomodo iuvenis in literis profecturus se gerere debeat.

**Albanus** & **Lycurgius**.

**Albanus:** Salve.
**Lycurgius:** Et tu quoque.
**Albanus:** Negotii quid geris?
**Lycurgius:** Equidem otium, non negotium ago.
**Albanus:** Tu rarus libros tractas.
**Lycurgius:** Non semper eadem sunt agenda.
**Albanus:** Credebam te nihil quàm chartas revolvere.
**Lycurgius:** Cur id persuasum habuisti?
**Albanus:** Quia longe præcellis alios peritia.
**Lycurgius:** Scientia non solùm legendo acquiritur.
**Albanus:** Quo tum alio modo?
**Lycurgius:** Etiam precando, et gratiam divinam implorando.
**Albanus:** Tamen rarò templis intersunt ferventes studio.
**Lycurgius:** Mane, dum tu stertis in nido calido, ipsi Deo serviunt.
**Albanus:** Ego etiam singulis diebus oro, perlego folia multa.
**Lycurgius:** Labiis fortè murmuras, sed cor aliud volvit.
**Albanus:** Et corde oro quantum conceditur.
**Lycurgius:** Et orare et studere simul oportet.
**Albanus:** Putabam habita gratia divina labore opus non esse.
**Lycurgius:** Minimè, proverbium est, Cum Diis manum admove.
**Albanus:** Quid illud sibi vult adagium?
**Lycurgius:** Id est, cum gratia divina etiam laborandum esse.
**Albanus:** Posthac igitur ferventius et orabo, et chartis impallescam.

**Lycurgius:** Scientia datur à præceptoribus, à libris, et gratia divina.

---

# Cur Scholastici tam desides sint ad laborem.

## **Theophilus** & **Parmeno**.

**Theophilus:** Cur tu ita desides manibus insinuatis?

**Parmeno:** Quid agerem?

**Theophilus:** Admove manum nostro operi.

**Parmeno:** Labore non capior.

**Theophilus:** Quo tum? delectarísne otio?

**Parmeno:** Sic potius quàm opere.

**Theophilus:** Facilè mihi persuaseris.

**Parmeno:** Credis ita celerrimè?

**Theophilus:** Ubi vera audio, non dubito.

**Parmeno:** Et falsis ego quandoque fidem præbeo.

**Theophilus:** Compertúmne habes, cur scholastici plus aliis torpeant?

**Parmeno:** Causam ignoro.

**Theophilus:** Otiando torpor adipiscitur.

**Parmeno:** Torpent interdum et laborantes.

**Theophilus:** Citius tamen otiosi, quia non sunt assueti labore.

**Parmeno:** Etiam et laboriosi enervati nonnunquam sudando.

**Theophilus:** Torpor præcipuè tamen scholasticis adscribitur.

**Parmeno:** Miror cur id fiat.

**Theophilus:** Hanc vulgus adhibet causam, quia in die divi Gregorii omnibus privantur viribus.

**Parmeno:** Dum primùm in scholam feruntur? at quis ipsis vires adimeret?

**Theophilus:** Aiunt quòd beatus Gregorius.

**Parmeno:** Vanum est: iste scientiæ est præses, non virium spoliator.

**Theophilus:** Per Pollucem, me censore socordiæ scholasticæ longè alia est causa.

**Parmeno:** Amâbo dic quæ?

**Theophilus:** Adsuescunt mollem ducere pennam, et onera graviora fugiunt.

**Parmeno:** Assuefactio efficacissima est, et altera fermè natura.

---

# Quòd promissa stultos exhilarant.

**Davus** & **Pamphilus**.

**Davus:** Ipse nunc in portu navigabo, scísne?

**Pamphilus:** Mutabitur tecum fortuna?

**Davus:** Ita sperare iussus sum.

**Pamphilus:** Cave vel vide, ne lupus hians deludaris.

**Davus:** Ab isto non timeo, nam aurei montes mihi sunt promissi.

**Pamphilus:** Polliciti fortè, sed nondum præstiti.

**Davus:** Certus sum, ac si accepissem.

**Pamphilus:** Fatue, quid loqueris?

**Davus:** Qui mihi promisit homo, fallere non solet.

**Pamphilus:** Est ipse tibi intus et in cute notus?

**Davus:** À pedibus usque ad verticem mihi cognitus est.

**Pamphilus:** Spem igitur foveas.

**Davus:** Pollicitus est mihi ultro.

**Pamphilus:** Promissa ultronea sæpe non dantur.

**Davus:** Cur minus dantur quàm precata?

**Pamphilus:** Quia vulgò dicitur, Promisisse sat est, præstare opus non est.

**Davus:** Spe vivam, hominem ipsum exploraturus.

**Pamphilus:** Ita facito, sed interim cum sæpe moneto.

**Davus:** Crebrius monere molestum reddit, cui supplicatur.

**Pamphilus:** At veteri proverbio, Bona nomina nonnunquàm fiunt mala, si nunquàm interpellas.

**Davus:** Dicterio isto quid significatur?

**Pamphilus:** Oblivisci nostri, si nunquam interloquimur, amicum.

**Davus:** In dies conspectui istius obversor.

**Pamphilus:** Fias voti compos, precor.

**Davus:** Si promissa factis mihi æquentur, efficiar egregius.

**Pamphilus:** Tum me non agnosces.

---

# De Omasis vicinis deportandis, post bovem mactatum.

**Eusebius** & **Thylmannus**.

**Eusebius:** Quò vadis?

**Thylmannus:** Hanc patinam latum amicis.

**Eusebius:** Quid in ipsa geris tecti?

**Thylmannus:** Quippiam opipari.

**Eusebius:** Sine aspiciam quid sit.

**Thylmannus:** Quid videre tibi proderit?

**Eusebius:** Fortè omasa sunt et farcimina.

**Thylmannus:** Ea ipsa sunt, aspice.

**Eusebius:** Feres ipsa uni domui?

**Thylmannus:** Dividerem, quem modica sunt?

**Eusebius:** Tantum carnis et ego boni consulerem.

**Thylmannus:** Tibi iniurato do fidem.

**Eusebius:** Num et me intestinorum portiuncula donabis?

**Thylmannus:** Si pusillum tibi gratum esset, à parentibus buccellam unam aut alteram intestinorum bovillorum impetrarem tuæ gulæ.

**Eusebius:** Farcimine etiam admodum exiguo me delectare poteris.

**Thylmannus:** Non tantùm farcimine te donabo, sed et omasorum duobus verubus.

**Eusebius:** Belle promittis, si præstares facto.

**Thylmannus:** Ut primùm domum rediero, matrem rogabo tuo nomine.

**Eusebius:** Mei gratia nemini sis molestus.

**Thylmannus:** Hoc non metuas, adamat omnes qui mihi sunt socii.

**Eusebius:** Si potes, egestati meæ subvenias.

**Thylmannus:** Faciam, vide ut domi sis.

**Eusebius:** Digitulo appulses ianuam, ubi veneris.

**Thylmannus:** Tum et actutum aperi.

**Eusebius:** Confestim aperire soleo afferenti.

**Thylmannus:** Occludésne ostium petenti?

**Eusebius:** istius pulsare non audio.

**Thylmannus:** Unde percipis pultantem vel afferre, vel exigere?

**Eusebius:** Per rimulam ianuæ video quis homo sit.

---

# De Convivio opiparo & lauto.

## **Hospes, Convivæ** & **Puer**.

**Hospes:** Acceptus est mihi vester adventus.

**Convivæ:** Gratia tibi sit ô hospes.

**Hospes:** Perplacet, quòd in tempore adestis.

**Convivæ:** Gaudemus.

**Hospes:** Hybernaculum ingredimini.

**Convivæ:** Non admodum frigemus.

**Hospes:** Æquè intus, ac hîc in frigido eritis.

**Convivæ:** Obsequemur tuis iussis.

**Hospes:** Si cupitis, fervidius instruetur fornax.

**Convivæ:** Non: nam calet temperatè.

**Hospes:** Ipse nequeo ferre, dum nimio calore æstuat.

**Convivæ:** Insalubre etiam est.

**Hospes:** Mox erit coquinæ ministra parata, tum eduliis onerabimus mensam.

**Convivæ:** Nil properes nostra causa, non vehementi premimur fame.

**Hospes:** Feram bolum aliquem, unde procœnium facietis.

**Convivæ:** Ah, noli, tum prandere cupidè nobis non licebit.

**Hospes:** Parebo. Lavetis manus, et accumbite mensæ.

**Convivæ:** Discumbe tu prior, ut decet.

**Hospes:** Domi mea sum, stabo vel assidebo mensæ.

**Convivæ:** Advenias tamen nobis.

**Hospes:** Consecra cœnam puer.

**Puer:** Bene dicite.

**Convivæ:** Dominus.

**Puer:** Quicquid appositum est et apponetur, per verbum Dei sanctificetur, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

**Convivæ:** Amen.

**Hospes:** Nunc vos amici, hæc attingite obsonia, et eorum vilitatem boni consulite.

**Convivæ:** Sunt hæc vilia? principis decerent patinas et conspectum.

**Hospes:** Sunt talia, quæ plebeiorum focus fert, et infimæ fortunæ homines edunt.

---

# De convivio tenui & frugali.

## Hospes, Puer & Convivæ.

**Hospes:** Serve curre adductum convivas.

**Puer:** Facesso iussum.

**Hospes:** Dic instructa omnia.

**Puer:** Exequar.

**Hospes:** Et ut maturent gressus.

**Puer:** Iubebo.

**Hospes:** Meos expectare nuntia.

**Puer:** Faciam.

**Hospes:** En mi convivæ, gratulor vestro adventui.

**Convivæ:** Habemus tibi gratiam.

**Hospes:** Cur tam serò adestis? quid vos detinuit?

**Convivæ:** Timuimus nondum hîc instructum esse prandium.

**Hospes:** Omnia diu extructa fuêre.

**Convivæ:** Tam serò quòd adsumus, tibi tamen non displiceat precamur.

**Hospes:** Non stomacho meo amarum fuit.

**Convivæ:** Cur non ientabaris!

**Hospes:** Credebam vos semper propediem affuturos.

**Convivæ:** En, iam adsumus ipsi.

**Hospes:** Gaudeo, si diutius emansissetis, edissem.

**Convivæ:** Nunc alacrius prandebis nobiscum.

**Hospes:** Prædico vobis mi Convivæ, tenuis hic erit ciborum apparatus.

**Convivæ:** Facile contenti erimus obsoniis, non vulturis ac lupi stomachum habemus.

**Hospes:** Patina olusculi et porcina carne vos tractabo.

**Convivæ:** Nihil super istud expetierimus.

**Hospes:** Aqua igitur manus abluite, et quisque mensæ assideat.

**Convivæ:** Faciemus ut iubes.

**Hospes:** Prælegamus nunc hymnum.

**Convivæ:** Ipsum enarra hospes, nos respondebimus.

---

# De Avibus, Columbis, & Piscibus capiendis.

**Georgius** & **Valterus**.

**Georgius:** Quid negotii tibi sumis à labore literario?

**Valterus:** Aves, columbas, et pisces insequor.

**Georgius:** In sequeris tu ista? non usque libris insudas?

**Valterus:** Nequeo semper incumbere chartis.

**Georgius:** Proficies in literis, timeo, nunquàm.

**Valterus:** Auguraberis spero falsò.

**Georgius:** Memoria teneas quod tibi vaticinor.

**Valterus:** Elaborabo ne verax sies.

**Georgius:** Vulgatum audistíne Proverbium?

**Valterus:** Quod?

**Georgius:** Per avium, piscium et columbarum studia, multa interiisse ingenia.

**Valterus:** Sæpissimè audivi, non tamen assensi.

**Georgius:** Non convenit simul insequi aves et pisces, ac literas amplecti.

**Valterus:** Dum otiamur à lectionibus, licebit talia quandoque agere.

**Georgius:** At tu nimis sæpe aves et columbas, rarò libros tractas.

**Valterus:** Hoc me plus delectat.

**Georgius:** Verùm minus proderit, nauseas timeo à labore literario.

**Valterus:** Præfero aucupium et piscationem.

**Georgius:** Serus vide ne sapias.

**Valterus:** Satis sapio mihi, non opto Catonis prudentiam.

**Georgius:** Vive tuo more, nolo tibi esse tutor.

**Valterus:** Non intermitto penitus studium literarium, ut tu æstimas.

**Georgius:** Animum oportet habeas liberum, non talia cogitantem, si

profectum eruditionis desideras.

**Valterus:** Sentio quòd quicquid ago, cogito de piscibus.

**Georgius:** Literis solùm te dedas, et istas desere nugas.

**Valterus:** Ægrè possum, at tamen conabor.

---

# De Balneis ingrediendis.

**Petrus** & **Hermannus**.

**Petrus:** Ut ita oles hircum?

**Hermannus:** Arguis me fœtoris Beanorum?

**Petrus:** Non Beanum te voco, sed graviter oles.

**Hermannus:** Fortè pituita laboras.

**Petrus:** Sordes tanquàm diu balneis non interfuisses.

**Hermannus:** Balnea ut Syrenes fugio.

**Petrus:** Maléne tibi cum balneis convenit?

**Hermannus:** Scabie infectus sum, ideo vereor conspici nudus.

**Petrus:** Tanto crebrius te ablueres, quò purgareris.

**Hermannus:** In balneis non omnes purgantur.

**Petrus:** Quî non?

**Hermannus:** Multi ingressi mundi, exeunt ulcerosi.

**Petrus:** Scabiem tamen plerunque isthic tollunt homines.

**Hermannus:** Credo, sed et deridetur, et vitatur ab omnibus scabie confectus.

**Petrus:** Mallem istud deridere ferre, quàm semper scabie affligi.

**Hermannus:** Facilè consilium præbes (sententia Terentii) quia tu cute purus es.

**Petrus:** Consulo tibi, quod et ego agerem.

**Hermannus:** Vereor apprimè conspici scabiosus.

**Petrus:** Frontem perfrica, ac mihi in balneum congredere mea crumena.

**Hermannus:** Exolves tu lotionis meæ fymbolum?

**Petrus:** Promitto, immunis meo balneabis ære.

**Hermannus:** Congrediar, posthac, et te ab impendio balnei habebo

liberum.

**Petrus:** Id non expeto, accinge ut coëamus.

**Hermannus:** Ibo prius domum, indutum interulam mundam vel lotam.

**Petrus:** I properè, hîc in ædibus te manebo.

**Hermannus:** Mox rursus adero.

**Petrus:** I Pegasæo gradu, et vorans viam.

---

# De pestis sævitia.

## **Arnoldus** & **Theodolus**.

**Arnoldus:** Curiam à patria exulas?

**Theodolus:** Patriam iam fugio, ut aves avernum.

**Arnoldus:** Quomodo iste avernum fugiunt?

**Theodolus:** Avernus locus est, quem propter fœtorem nequeunt aves incolere.

**Arnoldus:** Fugis tu etiam ita nunc sŏlum tuum natale?

**Theodolus:** Utique.

**Arnoldus:** Quî fit istud?

**Theodolus:** Quia ibi nunc fœtor pestifer imperat.

**Arnoldus:** Ah, tu perfide.

**Theodolus:** Perfidiæ quid me insimulas?

**Arnoldus:** Tu perverse Menalca, qui deseris in miseria patriam.

**Theodolus:** Traherem ibi moram, ubi de meo capite ageretur?

**Arnoldus:** Amicus in neutra est deserendus fortuna.

**Theodolus:** Inficias non eo, tamen sibi ipsi est cavendum.

**Arnoldus:** In Amicitia vera, cura propria non est amico præferenda.

**Theodolus:** Credo: sed tamen genu cruri propius est.

**Arnoldus:** Iuvares consolando amicos peste infectos.

**Theodolus:** Sat isthic habent consolatorum ex cucullatis monachis.

**Arnoldus:** Adsunt ibidem ægrotis monachi?

**Theodolus:** Ita, ordinis sancti Alexii, non autem sacerdotes sunt.

**Arnoldus:** Sunt etiam illi infirmis mulieribus præsto?

**Theodolus:** Mulieribus adsunt moniales, sive virgines vestales.

**Arnoldus:** Sævit apud vestrates adeò atrociter pestis?

**Theodolus:** Homines in dies agminatim moriuntur.

**Arnoldus:** Quanta funerum in dies est turba?

**Theodolus:** Nonnunquàm una die viginti condiebantur humo me præsente.

**Arnoldus:** Miserum et lamentabile est spectaculum, tot sepelire eodem tempore.

**Theodolus:** Extremum tristitiæ est illis, quorum amici animam agunt.

**Arnoldus:** istud expertus sum, dum mei parentes vita defungebantur.

**Theodolus:** In paterno meo solo homines penitus erant consternati animis.

**Arnoldus:** Quis animo non esset perturbato, dum periculum capitis adest?

**Theodolus:** Satius tamen est in culcitra, quàm alio mortis genere occumbere.

**Arnoldus:** Vergilius eos vocat térque quatérque beatos, quibus contigit Troiæ ante ora patrum mori.

**Theodolus:** Istud ex oraculo Apollinis protulit dictum: nam mortem levat patria et amicorum præsentia.

---

# De Bellorum incommodo.

## **Martinus** & **Valerius**.

**Martinus:** Ô quam miserè ista natio est devastata!

**Valerius:** Unde ista miseria?

**Martinus:** È bellorum tyrannide.

**Valerius:** Solet bellum cantum afferre ruinæ?

**Martinus:** Reparat nihil, sed omnia sŏlo æquat.

**Valerius:** Ô rem execrabilem.

**Martinus:** Pacis est quæque salva reddere, ita belli omnia dissipare.

**Valerius:** Longè (ut video) præstabit pace frui.

**Martinus:** Experientia istud persuadet.

**Valerius:** Felices térque quatérque, qui armis nunquam obruuntur.

**Martinus:** Bellum agendi quis tamen autor extitit?

**Valerius:** Nullus nisi Eumenides et furiæ.

**Martinus:** Ego æstimo eos esse autores, qui primi belli invenerunt tormenta.

**Valerius:** Haud malè iudicas.

**Martinus:** Sed apud quam nationem illa sunt exorta?

**Valerius:** Aiunt in Germania.

**Martinus:** À nostris Germanis multa mira sunt reperta.

**Valerius:** Tamen illa tormenta præstaret nunquàm excogitata.

**Martinus:** Res bellica etiam crebrò armis et satellitibus, non istis geritur ferocibus instrumentis.

**Valerius:** Arma et satellites urbem soli non expugnarent.

**Martinus:** Obsiderent tamen, et tandem esurie vincerent eam.

**Valerius:** Fortè et ipsi fame compulsi, demum abirent ante victoriam.

# De annonæ caritate.

**David** & **Lucas**.

**David:** Quid sibi vult macies ista tua?

**Lucas:** Quòd macer appareo, mirum non est.

**David:** Fortè pasceris aridè et tenuiter.

**Lucas:** Tenacissimè alunt me parentes.

**David:** In rem tuam fortè faciunt.

**Lucas:** Est illud commodum, parcè ali?

**David:** Libris incumbenti non convenit saturitas.

**Lucas:** Certè et venter ieiunus chartis non gaudet.

**David:** Cibus mediocris commodat literis dedito.

**Lucas:** Eo contentus essem, si daretur.

**David:** Cur tam modicum tibi præbent cibi?

**Lucas:** Ob annonæ caritatem.

**David:** Est ideo ieiunandum, quia omnia veneunt carè?

**Lucas:** Est, egenti pecunia.

**David:** Nobis adhuc in annum de frugibus prospectum est.

**Lucas:** Feliciores nobis estis.

**David:** Quanti nunc venit siligo?

**Lucas:** Aureo numo credo.

**David:** Tolerandus adhuc est iste mercatus.

**Lucas:** Certè non inopibus, sed opulentis.

**David:** Audivi in Gallia in quadam urbe vendi quinque coronis (ut vocant) aureis.

**Lucas:** Hui, mentiris nimiúm.

**David:** Inde huc scriptum est.

**Lucas:** Per quem?

**David:** Per filium cuiusdam Senatoris huius urbis.

**Lucas:** Nollem me istic nunc temporis agere.

**David:** Et ego lætor me istic præsto non esse.

**Lucas:** Gratia Deo, quòd hîc adhuc asse tolerando venditur.

---

# Quàm delicatè in oppidis, et quàm miserè ac tenuiter victitent in agris.

**Eobanus** & **Adelarius**.

**Eobanus:** Ô magne Apollo, quàm iniquè inter homines vivitur!

**Adelarius:** Ut istud coniicis?

**Eobanus:** Nam multi delicatè, aliqui tenuiusculè victitant.

**Adelarius:** Es tu expertus fortunam vitæ aliorum?

**Eobanus:** Res ipsa loquitur passim.

**Adelarius:** Apertius istud loquere.

**Eobanus:** Rustici ut edant, vidistín'?

**Adelarius:** Vidi, pulmentis ordeaceis pascuntur.

**Eobanus:** Urbani autem omni utuntur ciborum lautitia.

**Adelarius:** Aliqui eorum nudum rodunt panem.

**Eobanus:** Quandoque tamen curant cuticulam et vivunt genialiter.

**Adelarius:** Ut possunt illud, cùm as ipsis desit?

**Eobanus:** Vestes vel alia oppignerant.

**Adelarius:** Tum oporteret eos nudos incedere.

**Eobanus:** Domi se continent, quousque redemerint.

**Adelarius:** Fortassis accommodatis indumentis utuntur.

**Eobanus:** Nonnunquàm certè, vel æs credito accipiunt, unde redimant vestes.

**Adelarius:** Tum vorsuram solvunt.

**Eobanus:** Quid est vorsuram solvere?

**Adelarius:** Est creditorem solvere pecunia credita accepta ab alio.

**Eobanus:** Vivitur adeò opiparè et magno in urbibus?

**Adelarius:** Utique, quicquid labore acquiritur, festo die prodigitur.

**Eobanus:** Quo victitant deinde diebus operosis?

**Adelarius:** Pane et raparum quisquiliis.

**Eobanus:** Stulti homines, qui crapula famem emunt.

**Adelarius:** Ipsi super Chœnice non sedent.

---

# Facilè emergere eos, qui opulenti sunt.

**Matthias** & **Vergilius**.

**Matthias:** Subitò iste in virum evasit.

**Vergilius:** Dignum non est admiratione.

**Matthias:** Ego vehementer miror.

**Vergilius:** Ego nihil, quia facilè potuit.

**Matthias:** Quî facilè potuit?

**Vergilius:** Quia opulentus fuit.

**Matthias:** Emergunt illi omnes qui divites sunt?

**Vergilius:** Dubitas? ánne in dies istud vides?

**Matthias:** Pauperibus ut succedit?

**Vergilius:** Iacent et pessundantur ubique.

**Matthias:** Prospice quid dicas.

**Vergilius:** Dico Apollinis oraculum.

**Matthias:** Non rarò pauper in virum evadit egregium, dives semper humi repit.

**Vergilius:** Rarò visum est quod dicis.

**Matthias:** Eruditorum turbam et classem aspice, omnes fermè inopes fuêre.

**Vergilius:** Adiuti tamen aliorum opibus.

**Matthias:** Sæpe et sibiipsi opitulantur ingeniis et scientiis.

**Vergilius:** Per illa ipsis applauditur ab opulentis.

**Matthias:** Phœnice rariorem reperies doctum, qui rerum est educatus copia.

**Vergilius:** Quî illud fiat, admiror.

**Matthias:** Qui abundant, æstimant se non egere doctrina.

**Vergilius:** Tales complures audivi suas iactitantes opes.

**Matthias:** Nonnulli etiam abundantes ære, scientia nequeunt pollere ob ingenii ruditatem.

**Vergilius:** Verè dicis, nam non omnia Dii uni dedêre, uni ingenium, alteri opes, cæteris formam corporis venustissimam, etc.

**Matthias:** Tanta varietate mortales differre voluit verus ipse Iupiter.

---

# De Nuptiis.

**Herebertus** & **Hylgerus**.

**Herebertus:** Ad proximum diem festum indulgebo genio.
**Hylgerus:** Ubi locorum?
**Herebertus:** In ædibus nostris.
**Hylgerus:** Habebitis aliquid apparatum lautius?
**Herebertus:** Convivium habebimus geniale et lautissimum.
**Hylgerus:** Tantos cur facietis sumptus?
**Herebertus:** Nuptiæ peragentur domi nostræ.
**Hylgerus:** Inter quos erit vinculum maritale?
**Herebertus:** Inter sororem meam, et filium alterius civis.
**Hylgerus:** Sponsus éstne locuples?
**Herebertus:** Nescio, arculam suam non sum exploratus.
**Hylgerus:** Quantam dotem afferet?
**Herebertus:** Aiunt, duo millia aureorum.
**Hylgerus:** Ho, ho, satis abundat.
**Herebertus:** Contenta est soror mea dote ista.
**Hylgerus:** Quantam ipsa afferet?
**Herebertus:** Nescio, mihi non retulerunt parentes.
**Hylgerus:** Duces tu sponsam?
**Herebertus:** Ad templum ducam, sed non rursus educam.
**Hylgerus:** Qui tum sunt educturi? vel immorabitur usque Ecclesiæ?
**Herebertus:** Cognati ipsius sponsi, cui in templo committetur in manus.
**Hylgerus:** À prandio habebitísne choreas?
**Herebertus:** Saliemus mirè ad tibiam et tympanum.
**Hylgerus:** In tanta lætitia et mei recordêris.

**Herebertus:** Venias ad nos, impartiam tibi quippiam lauti è sponsa.

**Hylgerus:** È sponsa nihil cupio.

**Herebertus:** Hem, lapsus sum lingua, ė nuptiis dixissem.

**Hylgerus:** Nasum tuum nosco.

---

# De Vino dando in illius sancti die, cuius nos nomen gerimus.

**Nicolaus** & **Ioannes**.

**Nicolaus:** Ut præsentes tibi sint numi facito.

**Ioannes:** Præsenti quid agam pecunia?

**Nicolaus:** Istud experieris.

**Ioannes:** Quando experiar?

**Nicolaus:** Die festo illius sancti, cuius nomen refers.

**Ioannes:** An tum plus egebo ære quàm nunc?

**Nicolaus:** Sumptum oportet facias.

**Ioannes:** Quas haberem expensas?

**Nicolaus:** Pendes vinum ob tuum nomen, quo isti sancto es cognominis.

**Ioannes:** Spem frustra fovebis.

**Nicolaus:** Recusabis? nónne et ego nomen meum vino celebravi?

**Ioannes:** Potationi ego autem non adfui.

**Nicolaus:** Si præsto fuisses, combibisses, non potuimus te expectare.

**Ioannes:** Iniquum esset, me tingere te vino, quum tuum non degustavi.

**Nicolaus:** Anno ab hinc proximo largius bibe, ubi redierint feriæ sancti illius, cui nomini ego consono.

**Ioannes:** Incertus sum an vita superstes manebo.

**Nicolaus:** Dabis vinum nécne?

**Ioannes:** Experiemini, ubi dies ille advenerit.

**Nicolaus:** Memores erimus, non obliviscemur.

**Ioannes:** Præter binas vini mensuras dabo nihil.

**Nicolaus:** Sat erit ultrà non postulantibus.

**Ioannes:** Unde exortus sit mos ille, miror maximè.

**Nicolaus:** Ex Gentilium consuetudine, qui solebant diem natalem convivando celebrare.

**Ioannes:** Verisimile est, nam multa vestigia Ethnicorum nostra consuetudines referunt.

---

# De primo Sacerdotis sacrificio.

**Bonifacius** & **Brictius**.

**Bonifacius:** Quando sacris initiaberis ordinibus?

**Brictius:** Proximo Paschate spero.

**Bonifacius:** Est tibi matura ætas?

**Brictius:** Ago nunc annum vigesimum quartum.

**Bonifacius:** Ordinibus suscipiendis isti conveniunt anni.

**Brictius:** Ætas mihi tanta est, verùm minor sapientia.

**Bonifacius:** Addisce tandem spargere nuces, si hactenus puerum egisti.

**Brictius:** Ad vires laborabo.

**Bonifacius:** Census quid habes, cuius ope vives in ordinibus sumptis?

**Brictius:** Parentum vivam prædiis.

**Bonifacius:** Potes de illorum opibus sacerdotis ducere vitam?

**Brictius:** Confido, nam unicus sum filius.

**Bonifacius:** Ipse nollem ordinibus sacris initiari, si sacerdotii mihil mihi esset.

**Brictius:** Eleemosynarum non sum cupidus.

**Bonifacius:** Etiam præter sacerdotis vitam posses patrimonio uti?

**Brictius:** Possem, at sacerdos effici ardeo.

**Bonifacius:** Nunc temporis miserrimum est sacerdotem esse.

**Brictius:** Cur est calamitosum?

**Bonifacius:** Quia passim odio persequuntur ab his, qui Luthero accedunt.

**Brictius:** Id si ferent æquo animo, magnam accipient mercedem.

**Bonifacius:** Exploduntur quibusdam in locis, tractantur ut Iudæi forent.

**Brictius:** Omnium rerum est vicissitudo: sic et illud tandem cessabit.

**Bonifacius:** At fortassis serius quàm proderit.

# De exequiis defunctorum peragendis.

## **Bernardus** & **Leonardus**.

**Bernardus:** Hodie rursus Ecclesiae nostræ plebeiarius messem suam exercebit.

**Leonardus:** Non est tamen messor vel agricola.

**Bernardus:** Plures metunt, qui tamen agricolæ non sunt.

**Leonardus:** Nunquàm vidi etiam doctum hominem metere.

**Bernardus:** Aliud mihi significat metere, quàm tibi.

**Leonardus:** Quid per ipsum verbum intelligis?

**Bernardus:** Metere, id est, commodum et lucrum accipere.

**Leonardus:** Melius te nunc capiam loquendo.

**Bernardus:** Plebeiarius noster hodie metet in altari oblatam pecuniam.

**Leonardus:** Fiet hodie tanta immolatio numorum?

**Bernardus:** Exequiæ agentur cuidam meorum cognatorum.

**Leonardus:** Intereris etiam et tu?

**Bernardus:** Præsto ero, et cum aliis meos altari offeram numulos.

**Leonardus:** Quot numorum receptum est immolare?

**Bernardus:** Tres in tribus altaribus.

**Leonardus:** Retinet pastor sibi istud soli?

**Bernardus:** Cum Sacellanis (credo) partitur.

**Leonardus:** Quanti constabit candelarum emptio?

**Bernardus:** Conducimus eas, et quantum combusserimus ceræ, tantum exolvemus.

**Leonardus:** Præter ista quid Plebeiario datis?

**Bernardus:** Incertum est mihi, sat scio pecuniæ.

**Leonardus:** Ditescere eum oportet.

**Bernardus:** Nunquàm aliquem sortis suæ audivi, qui se non egêre diceret.

---

# De sepultura

## **Eberhardus** & **Iodocus**.

**Eberhardus:** Candelæ per fenestras extensæ quid portendunt?

**Iodocus:** Cadaver hominis ædibus interesse.

**Eberhardus:** Apud nostrates istud moris non est.

**Iodocus:** Nullo signo prætereunti ostenditur in domo defunctum iacere hominem?

**Eberhardus:** Ostium patet, et in domo cum candelis ardentibus ponitur funus.

**Iodocus:** Cuique nationi suus est ritus.

**Eberhardus:** Emúntne omnes istas candelas, quas fenestris extendunt?

**Iodocus:** Conducunt eas, non mercantur.

**Eberhardus:** Quanti?

**Iodocus:** Quamlibet solido opinor.

**Eberhardus:** Præferuntur funeri ad sepulchrum?

**Iodocus:** Etiam et accenduntur.

**Eberhardus:** Sepultura quanti hîc constat.

**Iodocus:** Certè maximo ære.

**Eberhardus:** Dic mihi cur sepultura sit adeò pretiosa.

**Iodocus:** Terra cœmeterii emenda est, qua corpus conditur.

**Eberhardus:** Illa à quo venditur?

**Iodocus:** Puto, à plebeiario, vel ædituo.

**Eberhardus:** Qua fronte audent terram vendere?

**Iodocus:** Quid ni auderent?

**Eberhardus:** Ad ipsos non pertinet, cur tum aliena venditant?

**Iodocus:** Cuius est humus, si non ipsorum est?

**Eberhardus:** In Psalmo scriptum est? Domini est terra, et plenitudo eius.

**Iodocus:** Si est Domini, ergo et pastorum, quia Domini sunt vicarii.

**Eberhardus:** Quod Domini est, non ære, sed præcordiis devotis impetratur.

**Iodocus:** Precibus etiam plebani cœmeterium vendunt, sed pecunia addita.

---

# De anno Iubilæo.

**Paschasius** & **Alexius**.

**Paschasius:** Accingam me hac hyeme profectioni longissimæ.

**Alexius:** Quò diriges gressus?

**Paschasius:** Romam versús.

**Alexius:** Impetratum fortè sacerdotium fertile?

**Paschasius:** Minimè: sed depositum isthic peccata, pergam.

**Alexius:** Depositurus es ibi delicta?

**Paschasius:** Confore spero.

**Alexius:** Fidem non habeo.

**Paschasius:** Non fit tibi verisimile?

**Alexius:** Dicis istud tuo ingenio, vel ab alio relatum habes?

**Paschasius:** In literis Pontificis Romani ita legi.

**Alexius:** Quid continebant?

**Paschasius:** Cuilibet verè pœnitenti, et Romam hoc anno accedenti, condonari scelera et pœnam.

**Alexius:** Istud et in his terris consequi potes.

**Paschasius:** Quî hoc fieret?

**Alexius:** Ubicunque locorum homo pro suis ingemuerit peccatis, remittuntur ipsi, ut Evangelii fides nos instruit.

**Paschasius:** Si istud Evangelium promittit, tum hîc domi me continebo, et sumptibus parcam.

**Alexius:** Verùm, nosti originem anni Iubilæi?

**Paschasius:** Audivi exortum istum morem celebrandi annum Iubilæum à veteribus Iudæis, apud quos quinquagesimus quisque annus sacrosanctus habebatur.

# De tempore quo librorum lectiones auspicantur.

**Gregorius** & **Ambrosius**.

**Gregorius:** Ho, ho, sodales optimi, cor nunc est comedendum nobis.
**Ambrosius:** Delirásne?
**Gregorius:** Cur delirarem?
**Ambrosius:** Quòd cor esse nobis comedendum dicis, in nobis inclusum?
**Gregorius:** Proverbii vicem habet, significans contristari.
**Ambrosius:** Est nunc mœrendi tempus?
**Gregorius:** Latet vos istud?
**Ambrosius:** Ignoramus, fac tu nos certiores.
**Gregorius:** Appetit tempus, quod nos à matre rursus in exilium vocat.
**Ambrosius:** Quò?
**Gregorius:** Ad peregrinas urbes, nam lectiones auspicabuntur ilico.
**Ambrosius:** Aliò concedens, ne tantillum flere soleo.
**Gregorius:** Sed ego lugeo affatim.
**Ambrosius:** An ob digressum à matre?
**Gregorius:** Non, sed ob discessum à lauta culina.
**Ambrosius:** Coquinam semper iuxtà opiparam non optarem.
**Gregorius:** Alienis in terris est mihi precaria dape vivendum.
**Ambrosius:** Id dulce est pati in iuventute, ut in senio abundemus.
**Gregorius:** Isto pati mallem carere.
**Ambrosius:** Hæc olim dulce et iucundum erit meminisse.
**Gregorius:** Multum caseorum et carnis porcinæ mecum profecturus deferam.
**Ambrosius:** At ego opimam ære crumenam malo.
**Gregorius:** Parcè mihi æs præbent parentes.

**Ambrosius:** Timent ne prodigas.

---

# De tempore quo lectionibus librorum colophon imponitur.

**Lucius** & **Udalricus**.

**Lucius:** In articulis quid tecum computas adeò solicitè?

**Udalricus:** Dies quot restant ad ferias divi Bartholomæi?

**Lucius:** Etiam si scires, conferrétne tibi?

**Udalricus:** Exhilararer oppidò, si iste adessent feriæ.

**Lucius:** Eloquere cur, ut tibi congratuler.

**Udalricus:** Ad umbilicum tum ducuntur scholæ lectiones.

**Lucius:** Optimum esset eas et nostro inhærere ingenio.

**Udalricus:** Id flocci pendo.

**Lucius:** Remigrabis tu patriam versus?

**Udalricus:** Nisi aliud literis iusserint parentes, hîc non durabo.

**Lucius:** Vestiêris recens?

**Udalricus:** Ista spe vivo.

**Lucius:** Sed age, libri súntne penè finiti.

**Udalricus:** Non longè abest, Plaudite.

**Lucius:** Plaudite quid vocas?

**Udalricus:** Id est, finis in quo plaudimus libris.

**Lucius:** Audisti unquam causam, cur pulsemus libris, dum sunt perlecti?

**Udalricus:** Facilè liceat coniicere quæ sit.

**Lucius:** Coniectura ego nequeo assequi.

**Udalricus:** Ex more lusus Comœdiarum credo ortum.

**Lucius:** In ludo Comœdiarum quid fieri solet?

**Udalricus:** In fine comploditur manibus.

**Lucius:** Vis conferre scholæ lectiones ludo Comœdiarum?

**Udalricus:** Quid ni? lectores sunt actores, nos spectatores, libri verò Comœdiæ.

**Lucius:** Hactenus credidi per librorum ad caput allisionem cerebro scientiam imprimi.

**Udalricus:** Ah, nimiùm delirasti.

---

# De Ebrietate vitanda.

## **Demea** & **Helvo**.

**Demea:** Pudétne te hominem inebriari, et in bestiæ degenerare mores?

**Helvo:** Pudet utique, sed vitare nequeo.

**Demea:** Mirum esset si cavere non posses.

**Helvo:** Per Pollu cem non queo.

**Demea:** Auscultare si velles, docerem te vitandi modum.

**Helvo:** Age parêbo.

**Demea:** Fugias haustus ingentes.

**Helvo:** Vix potero.

**Demea:** Nequis istud, saltem paucos bibas.

**Helvo:** Pauci exorpti calices non opprimunt (credis) hominem?

**Demea:** Haud facile, nisi immodicum contineant potus.

**Helvo:** Quot cyathos mihi permittis exiccandos?

**Demea:** Ternarium cave transgredi.

**Helvo:** Hui, nimiùm palatum meum fraudare conaris.

**Demea:** Audisti nunquàm verbum (ni fallor) Thaletis Philosophis Primam crateram ad sitim, secundam ad hilaritatem, tertiam ad voluptatem, quartam ad insaniam pertinere.

**Helvo:** Antiqui abeant, sequamur tempora nostra.

**Demea:** Si à mea aberraveris sententia, bestiam indues.

**Helvo:** Fierem ob id bestia, si potu maderem?

**Demea:** Moribus non hominem, sed bestiam præ te feres.

**Helvo:** Ah, tace, probi sunt homines, qui inebriantur.

**Demea:** Habentur isti probi, quo autore?

**Helvo:** Vulgo ipso quod dicit, Scelestos non audere potu madêre.

**Demea:** Ita aiunt populares, non tamen nimium et ebrios laudant.

**Helvo:** Tamen ipsis delectantur, et ab eis risum captant.

---

# De Cereis gerendis in festo Purificationis Mariæ.

## **Theophilus** & **Germanus**.

**Theophilus:** Quò te confers?
**Germanus:** Forum versús.
**Theophilus:** Obsonatúmne?
**Germanus:** Non.
**Theophilus:** Executum aliquid negotii?
**Germanus:** Mercatum candelam ceream.
**Theophilus:** At in quem usum?
**Germanus:** Ut cras eam in templo feram.
**Theophilus:** Adulterorum est candelas ferre.
**Germanus:** Alio modo autem lapidibus additis.
**Theophilus:** Quantum emes cereum?
**Germanus:** Unius talenti.
**Theophilus:** Sufficeret semilibræ.
**Germanus:** Inter alios puderet me minutiorem gerere candelam.
**Theophilus:** Ut audio, tua candela videri cupis.
**Germanus:** Cupio, sed ad honorem Mariæ virginis, non meum.
**Theophilus:** Plus placet Deo cor humile, quàm celebris pompa.
**Germanus:** Animo pio in Deum facio, quicquid agam.
**Theophilus:** In manibus ego tenebo candelam sebaceam, non ceream.
**Germanus:** Nulla solet deferri, nisi cerea; sed proverbium est: Pauperes et vilia offerunt. Verum solido mercaberis cereum lumen.
**Theophilus:** Locupletius orabo Mariæ virgini.
**Germanus:** Attamen consuetudini non satages.
**Theophilus:** Malo placere Deo, quàm hominibus.

**Germanus:** Platonis tamen verbum est, oportere placere hominibus.

**Theophilus:** At contrà, divi Pauli verbum est, Si hominibus placerem, CHRISTI servus non essem.

**Germanus:** Istud intelligitur in factis malis, non bonis.

---

# De Sertis in die celebri ferendis

**Kilianus** & **Marcus**.

**Kilianus:** Ancillæ vestræ quid à prandio agent?

**Marcus:** Quare sciscitaris?

**Kilianus:** Est cur quæram.

**Marcus:** Audiam tum respondebo.

**Kilianus:** Capitis sertum mihi concinnarent.

**Marcus:** In foro venustius emes.

**Kilianus:** Mercari non soleo nugas istas.

**Marcus:** Et nos rosas tibi non donabimus nihilo.

**Kilianus:** Sat florum tamen nobis in horto sunt, qui pereunt.

**Marcus:** Isti mihi hac æstate vix coronas præbebunt.

**Kilianus:** Una vestrarum ancillarum mihi sertum debet.

**Marcus:** Debet, dic unde?

**Kilianus:** Ex promisso mihi facto.

**Marcus:** Sufficit promisisse, reddere non oportet.

**Kilianus:** Si nequeo rosaceum sertum consequi, ex frondibus unum conficiam.

**Marcus:** Receptum non est, tales gerere coronas.

**Kilianus:** Morem ipse mihi ita faciam.

**Marcus:** Novi moris autor exibilatur passim.

**Kilianus:** Spero quòd ancilla vestra me non deseret.

**Marcus:** Faciam ut te donet rosis, tu deinde sertum connecte.

**Kilianus:** Aut unum in foro mercabor.

**Marcus:** Solido ibidem emes.

**Kilianus:** Tribus numis comparabo mihi sat pulchrum.

**Marcus:** Laborabo quo te venustius habeam.

**Kilianus:** Non pudet me in talibus nugis superari.

**Marcus:** Ego malo pulchrior, quàm deformior conspici.

---

# De Convivio inter cervisiæ barathra celebrando.

**Strophilus** & **Lyconides**.

**Strophilus:** Salvus sis sodalium meorum optime.
**Lyconides:** Quid adeò blandè me appellas?
**Strophilus:** Quia diu mihi visus non es.
**Lyconides:** Neque tu mihi.
**Strophilus:** Latuisti semper domi instar testudinis.
**Lyconides:** Domi rarò fui, semper foris negotia parentum executus sum.
**Strophilus:** Tanto in tempore cur me non salutasti?
**Lyconides:** Licuit mihi nunquàm per occupationes.
**Strophilus:** Refarciemúsne intermissam amicitiam et sodalitatem?
**Lyconides:** Ad tuum nutum obsequar.
**Strophilus:** Id ego ferrem consilii, ut compotaremus pauxillulum.
**Lyconides:** Renitar nihil.
**Strophilus:** Potatiorémne domum aliquam nosti?
**Lyconides:** Rarus soleo esse aliorum compotor, quòd tabernas nescio.
**Strophilus:** Mihi est compertum, ubi bibuli scholastici latêre solent.
**Lyconides:** Fortè et frequens ipsis ades.
**Strophilus:** Interdum, cum per crumenam licet.
**Lyconides:** Non te immunem poculis tingunt?
**Strophilus:** Pari asse impendium solvo.
**Lyconides:** Non donarent te pauperem symbolo?
**Strophilus:** Vis scire ubi sit situm diverticulum nostrum cervisiarum?
**Lyconides:** Percupio.
**Strophilus:** In platea (quam vocant) ovium.
**Lyconides:** Tranquillum et solitarium locum egistis.

**Strophilus:** Latebris solemus gaudere.

**Lyconides:** Id prudentiæ est.

**Strophilus:** Concedamus istuc visum an aliquot nostrûm ibi pocula tractant.

**Lyconides:** Congredior.

---

# De Convivio vicissitudinario, quod sacerdotes inter se agunt.

**Burchardus** & **Conrardus**.

**Burchardus:** Domi vestræ cur adeò lautus instruitur focus?

**Conrardus:** Convivium nobiscum agetur festivum.

**Burchardus:** Qualénam erit illud?

**Conrardus:** Nequeo Latinė reddere.

**Burchardus:** Effare ut potes.

**Conrardus:** Canonici inter se convivium agunt, quod à serto capitis vocitant.

**Burchardus:** Scio, Convivium vici udinarium Latinè dices.

**Conrardus:** Quare?

**Burchardus:** Quia per vices, nunc ab hoc, nunc ab illo sumptus ipsius fiunt.

**Conrardus:** Verum est, alternatim faciunt impendia.

**Burchardus:** Fiet istud ære tui domini?

**Conrardus:** Fiet, quia ordine sequitur eum, qui ultimò expensas dedit.

**Burchardus:** Quanti constabit credis prandium istud?

**Conrardus:** Insumet forte decem aureos numos.

**Burchardus:** Hui tanti?

**Conrardus:** Et alii suo tempore non minus in obsoniis exponunt.

**Burchardus:** Exporrigunt etiam frontem basilicè?

**Conrardus:** Omnibus numeris sese exhilarant.

**Burchardus:** Edunt etiam carnes veru paratas?

**Conrardus:** Carnem elixam ac assam simul, et vinum, et hornum, et bimum.

**Burchardus:** Quàm crebrò istud convivium agunt?
**Conrardus:** Ni fallor quolibet mense.
**Burchardus:** Quisque fortè semel est convivator?
**Conrardus:** Toties quoties numero succedit.

---

# Cur convivium istud instituerunt sacerdotes, vel alii.

**Zacharias** & **Ferdinandus**.

**Zacharias:** Proverbium vulgò est, Nihil sine causa.

**Ferdinandus:** Quid tum?

**Zacharias:** Hoc mihi probatur maximè.

**Ferdinandus:** Etiam si detestari velles, salva fronte non posses.

**Zacharias:** Convivii vicissitudinarii precor causam profer.

**Ferdinandus:** Unde radices ceperit, facile est cognitu.

**Zacharias:** Mihi est quàm ignotissimum.

**Ferdinandus:** In convivis farcitur amicitia, nónne?

**Zacharias:** Hercule non dissentio.

**Ferdinandus:** Et sarcitur solidius, sæpius invicem convivando.

**Zacharias:** Esset inde vicissitudo illa convivii nata?

**Ferdinandus:** Persuasum ita habeo.

**Zacharias:** Vix mihi persuaseris.

**Ferdinandus:** Es adeò incredulus?

**Zacharias:** Ad istud dictum difficilis sum fide.

**Ferdinandus:** Scrupulum in eo quem habeas, cedo.

**Zacharias:** Scio, Vulgus amicitias utilitate probat.

**Ferdinandus:** Ita Horatius in Odis refert.

**Zacharias:** Est Horatii verbum, sed et vulgi probatum calculo.

**Ferdinandus:** Non inficiabor istum diligi unde commodum datur.

**Zacharias:** Sed convivium illud incommodat convivatori, ideo non est ob amicitiam natum.

**Ferdinandus:** Canonici opulenti amicitiam non commodo, sed corde

pensitant.

**Zacharias:** Malunt tamen accipere, quàm præbere.

**Ferdinandus:** Dando etiam non sunt difficiles.

---

# Exemplo Sacerdotum, etiam conviviorum ineunt circulum.

## **Gerardus** & **Henricus**.

**Gerardus:** Seniorum vita, audivi quondam, est iuniorum instructio.

**Henricus:** Debet esse, si fuerit bona.

**Gerardus:** Si autem fuerit mala. quid tum fiet?

**Henricus:** Non erit imitanda.

**Gerardus:** Vicissitudo conviviorum frequens Sacerdotibus éstne sequenda.

**Henricus:** Est, sed opulentis.

**Gerardus:** Nobisne fugienda?

**Henricus:** Inopia nostra satis docet.

**Gerardus:** Pulchrum tamen esset inter nos orbem agi conviviorum.

**Henricus:** Quàm pulchrum fuerit ignoro, parum quæstuosum certè.

**Gerardus:** Nescis ob sumptum pulchra non intermittenda?

**Henricus:** Fateor, pulchra et honesta.

**Gerardus:** Non indecorum est invicem potitare modicè.

**Henricus:** Sed nequimus abstinere, ubi amplexi fuerimus pocula.

**Gerardus:** Cessabimus una aut altera epota mensura.

**Henricus:** Tum unusquisque vix labia humectaret.

**Gerardus:** Ineamus precor fœdus agendi inter nos mutuas interdum compotationes.

**Henricus:** At quis sumptus feret?

**Gerardus:** Vicissim omnes.

**Henricus:** Quantum impendet potationis princeps?

**Gerardus:** Exiguum: nam præter cervisiam et bolum panis (nisi liberalior

fuerit) dabit nihil.

**Henricus:** Si vinum appeteremus, unde istud compararetur?

**Gerardus:** Quisque suo apponet nomine.

**Henricus:** Nunc consentio.

---

# De moribus Mensæ.

**Iulius** & **Morus**.

**Iulius:** Iuvenem exornat nihil quàm ingenii mores, dixit hodie præceptor noster.

**Morus:** È tripode locutus est.

**Iulius:** Hactenus credidi, plus scientia nos decoraret.

**Morus:** Toto cœlo aberrasti.

**Iulius:** Pluris tamen constat scientia, quảm virtus.

**Morus:** Nonnunquam scientia facilius adipiscitur.

**Iulius:** Sed sine moribus probis, scientia nihil habet laudis.

**Morus:** Nescius sum istis.

**Iulius:** Quantumvis peritus sit, si moribus vacaverit candidis, nihili homo erit.

**Morus:** Tantíne fiunt mores?

**Iulius:** Æstimantur magni ubivis locorum, maxime tamen ad mensam.

**Morus:** Ad lances ego frontem perfrico, morum omnium ignarus.

**Iulius:** Non pudet te absque fronte esse hominem?

**Morus:** Proverbium vulgi sequor: Ad mensam verecundari decere neminem.

**Iulius:** Non satis intelligis dicterium illud.

**Morus:** Quid sibi velit tu apertius dicas.

**Iulius:** Neminem à cibis debere abstinere, iuxtà tamen, mores servandi.

**Morus:** Admones me hactenus ignoti.

**Iulius:** Nusquàm magis, quàm ad mensam rusticitas advertitur hominis.

**Morus:** Estne adeò facile ad mensam delinquere?

**Iulius:** Facillime, si vel indecorè biberis. comederis, vel cibum attigeris.

**Morus:** Posthac me instar assidentium geram, ne quid committam

indignum.

---

# De feriis divi Blasii.

## **Osvaldus** & **Paschasius**.

**Osvaldus:** In quem usum paras cuspidem illam?
**Paschasius:** Quasi tu nescires.
**Osvaldus:** Quî ego scirem tua negotia?
**Paschasius:** Id quod molior, commune hîc locorum est.
**Osvaldus:** Age, et me istius certiorem redde.
**Paschasius:** Crastino die oculis cernes.
**Osvaldus:** Spectaculum fortè aliquod erit?
**Paschasius:** Spectaculum erit non ludi, sed cursus.
**Osvaldus:** Quî current, et quorsum?
**Paschasius:** Receptum est puerulos cras ostiatim cursitare.
**Osvaldus:** Quid ostiatim petent?
**Paschasius:** Aliquid muneris in divi Blasii nomine.
**Osvaldus:** Et quid precantibus erogatur?
**Paschasius:** Frustum carnis suille, vel panis triticeus unius teruntii.
**Osvaldus:** Unde natus est mos iste?
**Paschasius:** Fugit me per Herculem.
**Osvaldus:** Coniicio eius originem.
**Paschasius:** Enarra unde æstimas.
**Osvaldus:** In templo memini me vidisse divi Blasii simulachrum.
**Paschasius:** At qua effigie vel forma?
**Osvaldus:** Habens caput porcinum baculo infixum.
**Paschasius:** Ista est vero similis coniectura.
**Osvaldus:** Ipse credo inde esse ortum morem quem dicis.
**Paschasius:** Origo sit quæcunque, ego prædam me facturum spero.

# De Eloquentia & Barbarie.

## **Quirinus** & **Romulus**.

**Quirinus:** Mirum est, quantum loquendo discrepant homines.

**Romulus:** Quomodo dissonant?

**Quirinus:** Unus cultè, alius fœtidè Latinè loquitur.

**Romulus:** Unde ista sermonis diversitas?

**Quirinus:** À vario præceptorum genere.

**Romulus:** Non sunt præceptores eiusdem farinæ?

**Quirinus:** Ah, inter corvum et cygnum colore plus convenit, quàm inter præceptores literarios.

**Romulus:** In quo dissimiles sunt?

**Quirinus:** In eruditione, peritus est unus, alter amusus.

**Romulus:** Præceptor indoctus esse nequit, si instituit.

**Quirinus:** Magistratum præceptoris multi gerunt, sed provinciæ non satagunt.

**Romulus:** Omnes discipulos docent.

**Quirinus:** Docere varium est.

**Romulus:** Quomodo est varium?

**Quirinus:** Aliqui docent vana, inutilia, et auditu iniucundi.

**Romulus:** Quæ vocas iniucunda auditu?

**Quirinus:** Latinum impolitum fortè in aliqua coquorum officina effectum.

**Romulus:** Talem sermonem nullus docet discipulos.

**Quirinus:** Ah, nunc mihi cerebrum excutis.

**Romulus:** Loquor ut qui ignorat.

**Quirinus:** De te verè iudicas.

**Romulus:** Doceas tamen quid Barbaries sit, et quid eloquentia.

**Quirinus:** Barbaries est sermo, inculta habens verba, et impolitam compositionem.

**Romulus:** Quid Eloquentia?

**Quirinus:** Est sermo ornatum habens tum verbis, tum compositione.

---

# An omne perdatur tempus, quod studio non impartitur, ut dixit Plinius.

**Stephanus** & **Theodorus**.

**Stephanus:** Historici, admiror an semper vera afferant.

**Theodorus:** Istud credendum audaci animo.

**Stephanus:** Tamen Græci à multis mendaciis arguuntur in historiis.

**Theodorus:** Latinorum ego tutelam gero.

**Stephanus:** Plinii iunioris verbum fuit, id perire temporis, quod studio vacaret literario, credis tu illud?

**Theodorus:** Non crederem? experior in dies.

**Stephanus:** Aliud agendo nónne etiam bene collocant tempus homines?

**Theodorus:** Audiam, quid operis putes.

**Stephanus:** Potitando, edendo, et ventrem iuvando.

**Theodorus:** Hoc aliud est nihil, quàm tempus perdere.

**Stephanus:** Tamen inde commodum sequitur corpori.

**Theodorus:** Sed interim negligitur anima, quæ est nobilior.

**Stephanus:** Qui manibus laborant artifices, perdunt isti etiam tempus?

**Theodorus:** Id non reor.

**Stephanus:** Tamen Plinius istud videtur velle.

**Theodorus:** Plinius de literis deditis loquitur.

**Stephanus:** Literarum alumni nequeunt semper incumbere chartis.

**Theodorus:** Dic quando non?

**Stephanus:** Dicam. Plinius Secundus in Epistolis dicit de Plinio iuniore, quòd tempus balnei eximebat studio: ergo et illud perdidit.

**Theodorus:** Vanè loqueris: et si libros non tractabat, tamen semper de suis meditabatur scientiis.

**Stephanus:** Fortè dicere vis, istud bene collocari tempus, quod in libris vel colloquiis de scientia teritur.

**Theodorus:** Rem ipsam tenes.

---

# Cum ætate esse sapiendum.

**Antonius** & **Burchardus**.

**Antonius:** Non pudet te adultum ita gerere?
**Burchardus:** Quî ago?
**Antonius:** Instar pueri.
**Burchardus:** Das id mihi vitio?
**Antonius:** Quis vitio ubi non adscriberet?
**Burchardus:** Nescis, nemo ubique iuxtà sapit.
**Antonius:** Scio dulce esse quandoque desipere in loco.
**Burchardus:** Cur tum me increpas?
**Antonius:** Tu nunquàm non desipis.
**Burchardus:** Ut sapiam me instrue.
**Antonius:** Si audire me velis.
**Burchardus:** Auscultabo.
**Antonius:** Duo sunt sapientiæ præcepta.
**Burchardus:** Quæ illa sunt?
**Antonius:** Primum est, posse tacere.
**Burchardus:** Alterum quod est?
**Antonius:** Discere quid sit loquendum.
**Burchardus:** Ista memoria recondam.
**Antonius:** Sed scis quando, vel ubi tacendum?
**Burchardus:** Non, et id me doceas.
**Antonius:** Tacendum est, ubi taciturnitas plus confert, quàm loquacitas.
**Burchardus:** istud præscire quis potest?
**Antonius:** Præmeditandum istud est, antequàm lingua moveatur.

**Burchardus:** Quando loquendum est?

**Antonius:** Dum taciturnitas est obfutura.

**Burchardus:** Obéstne aliquando silere?

**Antonius:** Nescis, Amyclas tacendo periisse?

**Burchardus:** À quo discam quid loquendum sit?

**Antonius:** Sapientum adverte verba, et plus audias quàm loquare.

**Burchardus:** Vix illa tenere potero.

**Antonius:** In mente habeas præceptum Periandri Corinthii, quòd meditatio totum continet.

**Burchardus:** Posthac non hiscam, nisi enixè præmeditatus, quò verba vergant.

---

# De novis indumentis colloquuntur.

**Carolus** & **Daniel**.

**Carolus:** Hodie me noscis, cras non agnosces.

**Daniel:** Mutaberis in aliud animal?

**Carolus:** Non, sed alio modo totus variabor.

**Daniel:** Fortè incantamentis.

**Carolus:** Non, sed vestitu novo.

**Daniel:** Vestiêris recens.

**Carolus:** Utique novus à talis usque ad verticem.

**Daniel:** Tuo ære vel parentum?

**Carolus:** Parentum, non meo sumptu.

**Daniel:** Quî id es meritus?

**Carolus:** Diu est quòd polliciti sunt mihi.

**Daniel:** Cuius rei gratia?

**Carolus:** Si viderint me in literis progredi.

**Daniel:** Certè tui profectus sunt avidi.

**Carolus:** Commodum meum plus quàm ego anhelant.

**Daniel:** Ista vera est parentum pietas.

**Carolus:** Laborabo omni conatu, ut talis efficiar, qualem me cupiunt ipsi.

**Daniel:** Nunc tempus esset, ut nuces spargeres.

**Carolus:** Cum isto recenti amictu fervidior fiam literarum alumnus.

**Daniel:** Faxit id magnus Apollo.

**Carolus:** Ludibrio tu habes quæ dico, sed meliora præstaturum me videbis.

**Daniel:** Ut primum videro credam.

**Carolus:** Ignoras muneribus illectari iuvenes ad studia?

**Daniel:** Horatii ista sententia est.

**Carolus:** Non secus ac ego novis vestibus donatus, discendo fervescam.

**Daniel:** Ardor ille vereor peribit propediem.

**Carolus:** Id Dii avertant.

**Daniel:** Ero tibi augur, vestibus veterascentibus, exarescet et in te discendi cupiditas.

**Carolus:** Hoc in plerisque accidit, sed in me locum non habebit, id exitus ostendet.

**Daniel:** Si perduraveris diligentia, eris mihi magnus Apollo.

---

# Tractare dicunt fabrilia fabros.

## **Eberhardus** & **Fabritius**.

**Eberhardus:** Quæ convivæ vestri suderunt colloquia?

**Fabritius:** Talia, quales fuere hospites.

**Eberhardus:** Cuius tum farinæ isti erant?

**Fabritius:** Negotiatores, et mercatores, ac fœneratores.

**Eberhardus:** Hi quid invicem nugabantur?

**Fabritius:** De fœnore quod exercent.

**Eberhardus:** Sperant nunc quæstum aliquem?

**Fabritius:** Spe lucri iam foventur.

**Eberhardus:** Sed quare lucrum facient nunc temporis?

**Fabritius:** Annonam vænundando.

**Eberhardus:** Frugum venditio nunc tempestiva est.

**Fabritius:** Id et ipsi norunt, quia pretiose vænit.

**Eberhardus:** Hui pereant cum eorum aviditate illi hominum et pauperum tortores.

**Fabritius:** Faxit Deus ut mercatus annonæ vilior fiat.

**Eberhardus:** Vereor ante proximam messem vilius non vendetur frumentum.

**Fabritius:** Fidendum est Deo, qui omnia vertere potest.

**Eberhardus:** Ferrendum adhuc esset, si non charior fieret emptio frugum.

**Fabritius:** Id Dii prohibeant.

**Eberhardus:** Non alii adfuere convivæ?

**Fabritius:** Præsto erant et sacerdotes nonnulli.

**Eberhardus:** An isti qui mercede conducti missas celebrant, quos præsentionarios vulgus vocat?

**Fabritius:** Eiusmodi erant sacrificuli.

**Eberhardus:** Qualis ipsis fuit sermo?

**Fabritius:** Nusquam iam vel rarò defunctis exequias fieri.

**Eberhardus:** Quid causæ putabant esse?

**Fabritius:** Quòd Luthero accederent homines.

**Eberhardus:** Altera et hæc est ratio, quod egent plerique.

**Fabritius:** Certum est, egestate ubique laboratur.

---

# Ad mensam læta, & non tristia debere esse colloquia.

**Hero** & **Iulianus**.

**Hero:** Abeant verba illa.

**Iulianus:** Quare?

**Hero:** Tristia sunt quæ huic loco et tempori non conveniunt.

**Iulianus:** Quæ tum verba hîc apta erunt?

**Hero:** Dulcia et iucunda dicteria.

**Iulianus:** Quis hic est, qui aliquot scommata proferet?

**Hero:** Sales dicantur inter nos vicissim.

**Iulianus:** Cuius rei auspicari?

**Hero:** Hospitis istud est munus.

**Iulianus:** Placet, deinde et propius assidentes aliqui iocos afferent.

**Hero:** Vel si visum est hospiti, sortiemur quis incipiat.

**Iulianus:** Incipere ipse essem instructus.

**Hero:** Lepidi igitur aliquid recense.

**Iulianus:** Sed sileant prius omnes.

**Hero:** Tenebimus ora intenti omnes, ut inquit Vergilius?

**Iulianus:** Proverbium est multorum in ore, ad mensam sedendo iuvenescere homines, ídne vobis verisimile videtur?

**Hero:** Fertur, sed certum est quòd falsè.

**Iulianus:** Cur fictum esse creditis?

**Hero:** Quia tempore senescimus, ubicunque locorum simus.

**Iulianus:** Diffiteri nequeo, attamen ad mensam iuvenescimus.

**Hero:** Consonum verò non credimus esse.

**Iulianus:** Advertite vobis persuadebo.

**Hero:** Age facias, et Phyllida solus habebis.

**Iulianus:** Sententia Horatii est: Vinum hominem reddere iuvenem.

**Hero:** Æquè tamen senes manent ebrii.

**Iulianus:** Fiunt iuvenes animo et hilaritate.

**Hero:** Id verum est, quia vinum curas abigit.

**Iulianus:** Et iuvenum est curis vacare.

**Hero:** Ipsi non curant, quanti annona veniat.

**Iulianus:** Ideò ad mensam sinite et nos iuvenescere, largius bibendo.

---

# Ante & post cibum hymnum esse dicendum.

**Lucanus** & **Martinus**.

**Lucanus:** Homines suis an bestiæ, dubito.
**Martinus:** Formam nostram aspice.
**Lucanus:** Species est humana, sed vita non.
**Martinus:** Vivimus tum bruta?
**Lucanus:** Agitis mores beluinos.
**Martinus:** Hui, bona verba.
**Lucanus:** Porcorum est edere, nullis precibus dictis.
**Martinus:** Oraremus usque?
**Lucanus:** Decet hominem orando, cibum adire et deferere.
**Martinus:** In æde sacra sat precum diximus.
**Lucanus:** Fortassis ibidem fabulis transegistis tempus.
**Martinus:** Confabulari illic non solemus.
**Lucanus:** Etiam non ad Deum preces funditis scio.
**Martinus:** Observasti tu in templo quid ageremus?
**Lucanus:** Sæpenumero.
**Martinus:** Tecum habita, si nos mordere intendis.
**Lucanus:** Reprehendite vos et me, si quid scitis malè per me gestum.
**Martinus:** Sapientiores sumus, quàm quòd litem auspicaremur.
**Lucanus:** Oretis, deinde cibo fruamini.
**Martinus:** Omittemus posthac nunquàm preces ad cibum solitas.
**Lucanus:** Nihil incivilius est, hominem edere sine hymno dicto, cùm id CHRISTVS fecerit.
**Martinus:** Obliviscimur quandoque, aliarum dum sumus soliciti rerum.
**Lucanus:** Solicitus sum nunquàm adeò, ut Dei obliviscar.

**Martinus:** Felix, qui istam habeas gratiam.

**Lucanus:** Precantibus ad mensam victus suppeditatur à Deo.

**Martinus:** Facilè credimus.

**Lucanus:** Facite igitur, ut hoc præcepto mei semper suis memores.

**Martinus:** Fiet, tibi gratiam habemus.

---

# De Capite aperiendo.

**Nestor sapiens** & **Otmarus**.

**Nestor:** Rustice, ubi egisti vitam, an inter bestias?

**Otmarus:** Mihi cum beluis non convenit.

**Nestor:** Plus cum bestiis, quàm hominibus tibi est similitudo.

**Otmarus:** Causam indica.

**Nestor:** Apud honestos viros sine moribus es.

**Otmarus:** Mores quos haberem?

**Nestor:** Honestiori te aperiendo caput, loquereris.

**Otmarus:** Caput aperire crebrò molestum est.

**Nestor:** Optimè decet, quia datur virtuti.

**Otmarus:** At caput nudum frigus mordet.

**Nestor:** Quantumvis acre sit frigus, nequit citò lædere detectum caput.

**Otmarus:** Ipse doleo capite, dum frigus sentio.

**Nestor:** Nihil plus decorat iuvenem, quàm dignioribus adesse non operto capite.

**Otmarus:** Admiror, nihil tamen prodest illis quibus illud fit.

**Nestor:** Honor non accipientium, sed exhibentium est.

**Otmarus:** Ut audio honor est meus, non quibus ipsum facio.

**Nestor:** Sentis veraciter.

**Otmarus:** Si præscivissem aperuissem capud crebrius.

**Nestor:** Ingenuos indicat mores adolescentis.

**Otmarus:** Tum facillimè moratus efficiar.

**Nestor:** Audisti unquam Romanorum morem de capite nudando.

**Otmarus:** Non, recense tu mihi.

**Nestor:** Lex erat apud eos, quòd capite plecteretur, qui seniorem

præteriret coopertis capillis.

**Otmarus:** Nollem tunc temporis apud illos me vixisse.

**Nestor:** Ipse si ibidem vitam egissem, nunquàm operimento verticis fuissem usus.

**Otmarus:** Istud et ego non omisissem.

---

# De fertili Sacerdotio.

## **Pater** & **Quirinus**.

**Pater:** Ad vitam agendam sat mihi nunc est commeatus.
**Quirinus:** Gratiam Deo habeas.
**Pater:** Sed nostíne, unde victitabo?
**Quirinus:** Tu me certiorem redde.
**Pater:** Optimum mihi est sacerdotium.
**Quirinus:** Tale et mihi esse vellem.
**Pater:** Piscare undique, fortè reperies simile meo.
**Quirinus:** Aureo hamo careo.
**Pater:** Argenteum ut habeas hamum oportet.
**Quirinus:** Fortassis et tibi ære adeptum est sacerdotium.
**Pater:** Crede mihi, non inani ipsum sum nactus manu.
**Quirinus:** Id tibi iniurato credo.
**Pater:** Pendet mihi singulis annis centum aureos numos.
**Quirinus:** Sufficiet et tibi, et Nymphæ, quam ales.
**Pater:** Puellam educabo nullam, sed parentibus commorabor.
**Quirinus:** Sapies in rem tuam, si feceris.
**Pater:** Grave esset, me et domum, et ancillam, et coquinam fovere.
**Quirinus:** Dicto citius multum prodigitur.
**Pater:** Parentibus vivis, impendiis largis parcam.
**Quirinus:** Viaticum ad senium tibi compara.
**Pater:** Vellem et tibi esse fœcundum sacerdotium.
**Quirinus:** Ipse quoque percuperem.
**Pater:** Reperies aliquos pios, qui tui miserabuntur.
**Quirinus:** Ô utinam quàm gratus esse vellem.

**Pater:** Suborna amicos, qui pro te divites precentur.

**Quirinus:** Tentarem sedulò, si profuturum scirem.

**Pater:** Periculum faciendum quippiam cupienti.

**Quirinus:** Verum est, audaces fortuna iuvat. Et desidenti (ut vulgò fertur) assa non advolat columba.

---

# De officio mechanico addiscendo.

## **Romulus** & **Scipio**.

**Romulus:** Nunc temporis novus mos inolevit.

**Scipio:** Quem morem putas?

**Romulus:** Quòd à plerisque literæ deferuntur.

**Scipio:** Quid tum susceptant?

**Romulus:** Manibus operando victitant.

**Scipio:** Pœnitebit ipsos olim.

**Romulus:** Illud quàm multis prædixi, sed lapidi loquebar, et mortuo verba feci.

**Scipio:** Sapient nimis serò.

**Romulus:** Laboriosos dies non diu tolerabunt.

**Scipio:** Gustata laboris amaritudine, ad literas recurrent.

**Romulus:** Regredi ipsis non licebit ad deserta studia.

**Scipio:** Reditum quid morabitur?

**Romulus:** Parentes et aliorum hominum nasi suspensio.

**Scipio:** Satis amarum est Ciconia affici et depingi.

**Romulus:** Quid agent credis, postquàm eos laboris tæduerit?

**Scipio:** Crumenas amputabunt, et iugulabunt homines.

**Romulus:** Bellorum satellites fient etiam strenui.

**Scipio:** Fieri potest, nam et animam et vitam vænum habent.

**Romulus:** Monachorum et quorundam divitum admiror dementiam.

**Scipio:** Ah, admirari desine, nequeunt opiparos ferre dies.

**Romulus:** Stolidi qui luxuriosam vitam commutant miseria.

**Scipio:** Ignoras? Optat ephippia bos, piger optat arare caballus.

**Romulus:** Horatius isto verbo quid dicere volebat?

**Scipio:** Quenque suæ sortis pœnitere, optare alienam.

---

# Eos rarò probos fieri, quibus in teneris annis parentes nimiùm indulgent.

**Thelesphorus** & **Udo**.

**Thelesphorus:** Ô iuvenis, iuvenis, melior virtute evades nunquàm.

**Udo:** Nosti tu fortunas hominum?

**Thelesphorus:** Tantum nosco sortem tuam, quod in melius non proficies.

**Udo:** Deus adhuc successum felicem mihi spere non denegabit.

**Thelesphorus:** Tenera ætas de tota iudicat vita.

**Udo:** Hercule fallit sæpissimè.

**Thelesphorus:** In teneris molliter, ut tu, educati omnium evadunt pessimi.

**Udo:** Tum nulli fierent principes probi, quia lautè aluntur.

**Thelesphorus:** Principem probum nigro cygno invenies rariorem.

**Udo:** Contine linguam, audire fastidio.

**Thelesphorus:** Veterum perlustra historias, invenies egisse tyrannos ferè omnes.

**Udo:** Abeant prisca tempora, ætate nostra Reges et Duces trutinemus.

**Thelesphorus:** Hac tempestate dives probus albo corvo est rarior.

**Udo:** Tertius tu Cato es, omnia nosti.

**Thelesphorus:** Sim qui sim, Quintiliani sequor sententiam.

**Udo:** Quæ illa est?

**Thelesphorus:** Virtute eum nunquàm adolescere, qui in purpura repserit.

**Udo:** Ita visum est Quintiliano fortè inopi.

**Thelesphorus:** Censura est sua, et experientia veracissimum esse probat.

**Udo:** Perpauci probi essent, si vera diceres.

**Thelesphorus:** Loquor de illis, quorum lautè alitur iuventus.

**Udo:** Omnis fermè mater molliter alit filium.

**Thelesphorus:** Facerent quidem istud omnes nutrices, sed multis reclamat indigentia.

**Udo:** Ideò Deus pauperibus, non divitibus proles concedit.

---

# Qui parentes suos diligant filios.

## **Xenophon** & **Cyprianus**.

**Xenophon:** Vellem tales mihi contigisse parentes.
**Cyprianus:** Quales optares?
**Xenophon:** Ut ille est fortius.
**Cyprianus:** Fatue, nescis quid desideras.
**Xenophon:** Oppidò bene scio.
**Cyprianus:** Si perpenderes votum, taceres.
**Xenophon:** Dies delicatos cupio.
**Cyprianus:** Tales si haberes, commodaréntne tibi?
**Xenophon:** Frugiferi essent, nam nulla re egerem.
**Cyprianus:** Unde tum omnium rerum haberes copiam?
**Xenophon:** Ab opulentis parentibus.
**Cyprianus:** Ah, ah, quid loqueris stolide?
**Xenophon:** Loquor quod res est.
**Cyprianus:** Parentes divites plus surripiunt, quàm largiuntur filiis.
**Xenophon:** Ipsis quid auferunt?
**Cyprianus:** Omnem laudem et commoditatem.
**Xenophon:** Parentes darent filiis, citius quàm adimerent.
**Cyprianus:** Ut tu reris.
**Xenophon:** Amabo, effare quid filiis demunt?
**Cyprianus:** Virtutem, qua nihil est in mundo præstantius.
**Xenophon:** Dicta tua non teneo.
**Cyprianus:** Vis ut tibi tanquam Davo Terentiano apertius loquar?
**Xenophon:** Volo et desidero.
**Cyprianus:** Divites suis filiis plus æquo indulgent.

**Xenophon:** Indulgentia ista quid obesse potest?

**Cyprianus:** Quintilianus inquit, quòd et corporis et animi nervos omnes corrumpit mollis illa educatio.

**Xenophon:** Age, quomodo indulgent?

**Cyprianus:** Errantes non puniunt, neque à præceptoribus eos corrigi volunt.

---

# Quis noster sit Amicus.

## **Albertus** & **Bruno**.

**Albertus:** Miser homo nunc est, qui rerum est expers humanarum.

**Bruno:** Quis esset illarum rerum rudis?

**Albertus:** Proh dolor, tales reperies complures.

**Bruno:** Quos vocas tu humanarum rerum ignaros?

**Albertus:** Hosce quibus facilè imponitur.

**Bruno:** Nonnunquàm prudentissimo cuique dantur verba.

**Albertus:** Sortem mundi qui calluerit pulchrè, sibi cavebit.

**Bruno:** Nostíne dicterium, Homerum quandoque dormitare?

**Albertus:** Inter homines agenti vigilandum est strenuè.

**Bruno:** Tenduntur tum nobis semper insidiæ?

**Albertus:** A multis nobis insidiatur, etiam quos amicissimos credimus.

**Bruno:** Amici illi personati sunt.

**Albertus:** Apparent fautores coràm, sed clam mordent, et pungunt instar felium.

**Bruno:** Effingunt pulchrè naturam felis.

**Albertus:** Amicus est res nobilissima sed rarissima.

**Bruno:** Unico tamen munusculo amicus adipiscitur.

**Albertus:** Iste muneris, non nostri est amicus.

**Bruno:** Verùm quem æstimabimus amicum?

**Albertus:** Neminem festinanter et temere.

**Bruno:** Quando? oro instrue me.

**Albertus:** Quem diutino convictu intus et in cute noverimus.

**Bruno:** Intus aliquem noscere difficillimum est.

**Albertus:** Longa consuetudo arguit, qualis sit à talis ad verticem, albus an

ater.

**Bruno:** Multi Crocodili naturam habent, aliud vultu, aliud corde gerentes.

**Albertus:** Verum est, ideo Momus Deus reprehensorius carpebat naturam, quòd hominem occluso pectore crearit, quòd cordis alterius nos lateret cogitatus.

**Bruno:** Cordium si quis explorator esse posset, facilè amicum verum agnosceret.

---

# Quis nobis sit inimicus.

**Critolaus** & **David**.

**Critolaus:** Ô tu hominis somnium, non homo.
**David:** Tu me hominem esse negas?
**Critolaus:** Nego et manibus et pedibus.
**David:** Confirma quod dicere audes.
**Critolaus:** Quia brutis minus sapis.
**David:** Bruta, sapiúntne?
**Critolaus:** Provident diligentius sibi, quàm tu tibi.
**David:** Curam mei quantum possum gero.
**Critolaus:** Factis istud, verbis non præstas.
**David:** Ubi tum mihi incommodo?
**Critolaus:** Quòd cuilibet homini æquè credis.
**David:** Non crederem amicis?
**Critolaus:** Amicos quos æstimas, inimici veri sunt.
**David:** Id Dii prohibeant.
**Critolaus:** Coràm tibi blandiuntur, rodunt à tergo.
**David:** Hoc si agnovero, deferam eos.
**Critolaus:** Percipies vereor non sine periculo.
**David:** Argus ero quò me non fallant.
**Critolaus:** Actum est, diu in casses eorum incidisti.
**David:** Adhuc tamen liber sum.
**Critolaus:** Corpore liber es, sed emolumento captus.
**David:** Nocumenti adhuc sentio prorsus nihil.
**Critolaus:** Percipies more Phrygum serus nimiúm.
**David:** Tu si amicus es, præmoneas, quo mihi caveam commodius.

**Critolaus:** Sed me apud eos non prodas velim.

**David:** Silebo ac lapis iste.

**Critolaus:** Fœdus inierunt te deplumandi, quoad possent.

**David:** Id ipsis prohibebitur, quia parum mihi restat quod dem.

**Critolaus:** Id modicum si perdideris, nudus esses totus, ipsos desere.

**David:** Diutius eis non convivam.

---

# De monasterii & religionis ingressu.

**Georgius** & **Hermannus**.

**Georgius:** Éstne tibi præfixum, quo pacto senium ages?
**Hermannus:** Est præscriptum diutissimè.
**Georgius:** Ipse adhuc incertus sum, quam subeam senii conditionem.
**Hermannus:** Præscire illud deceret tanquam metam in quam curritur.
**Georgius:** Quo studio senectutem tu transiges?
**Hermannus:** Pietatis studio et religionis.
**Georgius:** Fovebis in senio cultum religionis?
**Hermannus:** Sic stat sententia.
**Georgius:** Monachíne assumes personam?
**Hermannus:** Cuculla me vestiam.
**Georgius:** Habitus maximè convenit senili corpori.
**Hermannus:** Quî id putas?
**Georgius:** Nam senectutem frigidam calere facit.
**Hermannus:** Ob id eam non induam.
**Georgius:** Qua spe ductus religionem ingrediêris?
**Hermannus:** Ob vitæ consequendum commeatum.
**Georgius:** Pessimam habes propositi metam.
**Hermannus:** Plurimi tamen ducti ea causa, mundo se abdicant.
**Georgius:** Satius esset cœnobia illos non invisere.
**Hermannus:** Emanere eorum gulæ non conferret.
**Georgius:** Prodesset tamen animæ.
**Hermannus:** Corporis gerunt curam, animam Deo committunt.
**Georgius:** Deo, non ventri ut serviatur, monasterium est ingrediendum.
**Hermannus:** Hui, indulgendum est nonnihil et gulæ.

**Georgius:** Quæ te Erinnys agitat, quòd nunc temporis monachatum cogitas?

**Hermannus:** Ardeo illius vitæ desiderio, quî fiat ignoro.

**Georgius:** Conspicísne, quomodo passim nunc monachi solitas deponunt personas?

**Hermannus:** Audio quòd undique se nudant cucullis.

**Georgius:** Non frueris illorum insania, detestaris monasticam vitam?

**Hermannus:** Non citò fugiendum est, quod execrantur homines nihili.

**Georgius:** At expertis credendum, religiosam vitam commutant mundana, tanquàm meliori.

**Hermannus:** Ipsi voluptate delectantur, ideo in mundum redeunt, quò ipsa potiantur uberius.

---

# Non omnes doctos esse qui capite redimiti sunt rubeo tegmine.

**Iupiter** & **Ludolphus**.

**Iupiter:** Hodie aliquid vidi, quod portenti loco habeo.

**Ludolphus:** Ecquid istud fuit?

**Iupiter:** Fortassis tibi non novum.

**Ludolphus:** Dicam, postquàm audiero.

**Iupiter:** Imberbem adolescentem magisterii opertum diademate.

**Ludolphus:** Quid tecum tacitus cogitabas?

**Iupiter:** Vix adultum, in literis tantùm profecisse.

**Ludolphus:** Stultus cogitatus fuit.

**Iupiter:** Prudenter volvebam hoc mente, nam multos novi annis plurimis confectos, et nondum illum erant magistratum adepti.

**Ludolphus:** Unde faciebas istum in peritia longè progressum?

**Iupiter:** Capitis redimiculum id me docuit.

**Ludolphus:** Æstimas tu ab amictu eruditum?

**Iupiter:** Quid aliâs loquitur istud capitis velamen, quàm hominis ingenuam doctrinam?

**Ludolphus:** Sæpe inscitiæ est lenocinium, non eruditionis index?

**Iupiter:** Ô quantum hactenus spe vana me lactatum video!

**Ludolphus:** Quomodo tibi impositum est?

**Iupiter:** Prosequutus sum honore et laude omnes capite velatos insigniter.

**Ludolphus:** Ah, rerum humanarum rudis es.

**Iupiter:** Quî ipse scivissem eos inscios, quum tiara prodirent erudita?

**Ludolphus:** Nostín’ adagium? Nartecophori multi, Bacchi verò pauci.

**Iupiter:** Proverbii quid istud est?

**Ludolphus:** Multi aliud apparent, quàm intus sunt.

**Iupiter:** Unde tu periculum sumis alterius eruditionis?

**Ludolphus:** Si multa docet, vel doctè agit.

**Iupiter:** Etiam si magisterii pileolo non sit opertus?

**Ludolphus:** Hedera viridis vinum nihil commendat, ita neque amictus pretiosus animi nobilitatem.

---

# Quibus sit utendum verbis, dum aliquid à Præceptore flagitatur.

**Marcus** & **Nero**.

**Marcus:** Instar folii trepido, dum præceptor mihi est conveniendus.

**Nero:** Cur tremis? éstne tantus tyrannus?

**Marcus:** Non, sed aliud mihi timorem incutit.

**Nero:** Audaculus tamen homo soles esse.

**Marcus:** Apud præceptorem mihi semper animus in pedes labitur.

**Nero:** Verecumdari decet discipulum apud instructorem suum.

**Marcus:** Vereor ideo, Latinè nescio, ut decet, loqui.

**Nero:** Non te labentem lingua secus docet?

**Marcus:** Instruit quidem, sed semper asinum me vocat, ubi loquendo cado.

**Nero:** Sic incutit tibi inscitia pudorem.

**Marcus:** Verax es, nusquam nisi apud cum sermonis solicitus sum.

**Nero:** Eo pacto quandoque integrè Latinè loqui disces, et minus errare.

**Marcus:** Ea spe ducor.

**Nero:** ista non frustraberis confidentia.

**Marcus:** Certiorem me redde, quomodo precabor ab ipso exeundi veniam, dum cacaturio.

**Nero:** Rogo veniam exonerandi ventrem.

**Marcus:** Dum urina urgeor?

**Nero:** Precor facultatem ad evacuandam vesicam.

**Marcus:** Quando domi mihi est manendum?

**Nero:** Opto consensum emanendi è gymnasio, per occupationes adesse nequeo.

**Marcus:** Si mihi ad prandium est vocandus præceptor?

**Nero:** Colende præceptor, parentes meite in prandium vel cœnam, convivam petunt.

**Marcus:** Excusaturus me quòd non interfui lectioni, per parentum iussa?

**Nero:** Ignoscas oro colende præceptor mea absentia, quia præsto esse non potui, per parentum negotia.

---

# De ovis colligendis circa Paschatis ferias.

## **Aristophorus** & **Buttubata**.

**Aristophorus:** Quid struis, suppingis tu calceos?
**Buttubata:** Suppingo, ita pecuniam mihi servo.
**Aristophorus:** Quam pecuniam?
**Buttubata:** Dandam suppactori calceario.
**Aristophorus:** Veteres quid resarcis calceos? mercare novos.
**Buttubata:** Ære laboro.
**Aristophorus:** Tantum bene haberes argenti.
**Buttubata:** Crumenam meam potius te nosco.
**Aristophorus:** Est tibi animus aliquò proficiscendi, quòd calceos reficis?
**Buttubata:** Faciam iter rus versus ad dies aliquot.
**Aristophorus:** Ruri quid exequêris?
**Buttubata:** Hoc tempore annuo rusticari soleo.
**Aristophorus:** Etiam emolumentum consequitur?
**Buttubata:** Imò integri mensis victum.
**Aristophorus:** Commeatus iste quis est?
**Buttubata:** Ovorum magnam copiam congrego.
**Aristophorus:** Multitudinem ovorum, an apud sepes olentium?
**Buttubata:** Ista palatum meum non delectant.
**Aristophorus:** Colligísne ova gallinacea?
**Buttubata:** Coacervo utique à rusticanis mulierculis.
**Aristophorus:** Cantas ante fores, vel precaris instar mendici?
**Buttubata:** Cano hymnum, quem vocant: CHRISTE qui lux.
**Aristophorus:** Iubent etiam quandoque ab ostio te abire immunem?
**Buttubata:** Sæpe, sed blandior ipsis, quousque stipem porrigunt.

**Aristophorus:** Nihil tibi præter ova præbent?

**Buttubata:** Nonnunquam et pingue farcimen.

**Aristophorus:** Solésne comitatus ire collectum ova?

**Buttubata:** Interdum solus, ubi Theseus mihi defuerit.

**Aristophorus:** Quid si me socium sumeres itineris?

**Buttubata:** Placebit mihi.

**Aristophorus:** Animo et meo arridet.

---

# Nusquam nunc tutam esse Fidem.

## **Iodocus** & **Matthæus**.

**Iodocus:** Lamentarísne?

**Matthæus:** Non lamentarer? sanguinem penè flerem.

**Iodocus:** Accidit tibi quippiam exitii?

**Matthæus:** Ah, mali magna turba.

**Iodocus:** Impertias mihi verbis ut tibi condoleam.

**Matthæus:** Tuum nihil mihi proderit condolere.

**Iodocus:** Solatium est in miseris amicus compatiens.

**Matthæus:** Mallem ego iuvantem quàm contristantem.

**Iodocus:** Detege mihi mœrorem.

**Matthæus:** Fides pollicita mihi non servatur.

**Iodocus:** Quid promissi tibi est factum?

**Matthæus:** Adminiculum victus totius vitæ meæ.

**Iodocus:** Ecastor, si factum fuisset secutum verba, in cœlo esses.

**Matthæus:** Nunc autem et à spe et promisso decidi.

**Iodocus:** Animum ne despondeas, si quid pollicitum est, fortè bellè servabitur.

**Matthæus:** Quantum intelligo, facta non sequentur verba.

**Iodocus:** Nescis divitum animos, volunt sibi supplicari.

**Matthæus:** Precatus sat sum.

**Iodocus:** Ores. demum per amiculos, isti ocyus exaudientur.

**Matthæus:** Rete tendam per amicissimos.

**Iodocus:** Eos mitte, qui isti sunt intimi, qui promisit.

**Matthæus:** Cogitaram id antea diu.

**Iodocus:** Verùm ne differas: nam semper nocuit differre, paratis, et

mora sua cuilibet est nociva.

**Matthæus:** Quamprimùm opportunum fuerit, periculum faciam.

**Iodocus:** Faxit Deus ut alea tibi prosperè cadat.

**Matthæus:** De isto mihi optato gratiam habe.

---

# Quòd obsequium amicos veritas odium pariat.

**Gysbertus** & **Cornelius**.

**Gysbertus:** Terentii Comœdia súntne unquam tibi lectæ?

**Cornelius:** Sæpiusculè, et adhuc indies leguntur.

**Gysbertus:** Excerpis etiam elegantiora quædam dicta?

**Cornelius:** In hoc raptitius est mihi liber.

**Gysbertus:** Obsequium amicos, veritas odium parit, cuius Comœdiæ est verbum?

**Cornelius:** Primæ, scilicet Andriæ.

**Gysbertus:** Videtúrne tibi esse poëticum dictum?

**Cornelius:** Nequaquam, sed Delphicum oraculum.

**Gysbertus:** Paris tu semper amicos obsequendo?

**Cornelius:** Inimicos nunquam nactus sum officio.

**Gysbertus:** Obsequia tamen sæpe ingrata sunt.

**Cornelius:** Ingrata quæ sunt non merentur obsequia dici.

**Gysbertus:** Verùm pessimi sunt homines, qui obsequiis irritantur ad nocendum, ut inquit Cicero.

**Cornelius:** Istas bestias, non homines dicerem.

**Gysbertus:** Ego ipsis beluam præponerem.

**Cornelius:** Quare?

**Gysbertus:** Bestiæ agnoscunt pietatem exhibitam eis.

**Cornelius:** Canes præcipui grati sunt.

**Gysbertus:** Miserum est sanè, homini obsequendo operam ludere.

**Cornelius:** Præstaret otiosum fuisse.

**Gysbertus:** Sed quomodo veritas parit odium?

**Cornelius:** Dum alteri dicitur quod ipsum aceto perfundit.

**Gysbertus:** Tangitur hominibus ulcus veritate?

**Cornelius:** Multis verò sermone movetur bilis et Anagyris.

**Gysbertus:** Illorum salus est desperanda (teste Cicerone) quorum aures sunt occlusæ veritati.

**Cornelius:** Per Herculem nocuit semper suo nutu, et non aliorum consilio, singula gerere.

---

# Convivium Bacchanale, sive ultima cœna dierum Lupercalium.

**Hospes**, **Uxor**, **Puer**, **Servus**, **Convivæ**, **Martinus**, **Arnoldus** & **Citharœdus**.

**Hospes:** Ô uxor meum corculum, in cœnam quid parabis obsonii?

**Uxor:** Nihil, nisi huius prandii reliquias mensæ imponam.

**Hospes:** Id dedeceret, nihil habere carnis recentis et vix elixæ.

**Uxor:** Quid ob unicam cœnam obsonatum irem?

**Hospes:** Convivas nonnullos vocavi, hos oportet lautis exponere lancibus.

**Uxor:** Quos?

**Hospes:** Dominum Martinum, et Magistrum Arnoldum filii nostri instructorem, tu fortassis et umbræ aliqui accedent.

**Uxor:** Qui isti essent umbræ?

**Hospes:** Personati qui amicos hoc vesperi invisunt.

**Uxor:** Larvis opertis hac nocte limen nostrum non patebit.

**Hospes:** Nunc meum deliciolum, focum instrue carne elixanda, et veru gallinas duas in cœnam nobis coque.

**Uxor:** Servum iube, ut à laniis armum ovillum ferat.

**Hospes:** Heus tu serve ubi latitas?

**Servus:** Adsum here.

**Hospes:** In macellum i celeri gressu, ac carnis ovinæ fer talenta sex.

**Servus:** Ibo ac velox.

**Uxor:** Ego enectum gallinas vado.

**Hospes:** id facito.

**Puer:** Noctescit pater, feram vinum in tempore, non tutum erit in tenebris vicatim cursitare.

**Hospes:** Hîc pecuniam sume in manus quatuor mensurarum, quamlibet sedecim mercaberis obolis, dicas matri ut singula percoquat, ego mox à somno surgam.

**Puer:** Efficiam quòd fiat ut iubes.

**Uxor:** Expergiscere marite, statim aderunt convivæ, quinta sonuit.

**Hospes:** Nunc me crigam: serve vade visum ubi morentur invitati à me, an emanere velint?

**Servus:** En aliâs testudineo veniunt gradu.

**Hospes:** Nunc tu mensam ocyus singulis para et instrue.

**Servus:** Dito citius instructam reddam.

**Hospes:** Gratulor vestro adventui mei convivæ.

**Convivæ:** Tibi sit gratia.

**Hospes:** Ubinam latet tempus Lupercale?

**Convivæ:** Ignoramus, abire, nósque deserere parat.

**Hospes:** Prius in ipso hilarem ducamus compotatiunculam.

**Convivæ:** Ideò huc detulimus pedes, et istud nostrum villi, precamur boni consulas.

**Hospes:** Hui, nimium est, suffecisset medium: quis epotabit?

**Convivæ:** Ebibemus sine sudore, prolixam adhuc agemus compotationem ante digressum.

**Hospes:** Abluite singuli manus et discumbite, in tempore incipiamus, quo hilaritati sat restet spatii.

**Convivæ:** Heus puer, adésdum, consecra cœnam.

**Puer:** Benedicite.

**Convivæ:** Dominus.

**Puer:** Quicquid appositum est, et quicquid apponetur, benedicat nobis ille, qui sua largitate pascit universa. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

**Convivæ:** Amen.

**Hospes:** Nunc in cibum manus iniicite, quoad lautiora afferentur.

**Convivæ:** Nostri muneris non erimus nescii.

**Hospes:** Calices reple vino tu serve, ut stas tanquàm Marpesia cautes?

**Martinus:** Bibere plus appeto quàm edere, hunc ego exorbebo calicem.

**Uxor:** Interbibendum est, ne in stomacho cibus putrescat: marite, hoc te salutabo poculo.

**Hospes:** Tibi non incommodet ipsius haustus.

**Arnoldus:** Et ego Martine. hunc cyphum tibi propino.

**Martinus:** Saluti sit tibi.

**Hospes:** Ut ita Chrysippum agitis? non delectat vos cibus?

**Convivæ:** Iuvat plurimùm, sed esurimus modicè.

**Hospes:** Hoc vitrum volo quisque ordine exiccet, ego glaciem secabo, et classicum canam.

**Convivæ:** Et nos post te ipsum elambemus.

**Hospes:** Age hunc tibi propino Martine, vide ut æquali mihi respondeas haustu.

**Martinus:** Non recuso.

**Hospes:** Ubi cyphus sistit? cur non obambulat? puellulæ istæ siti pereunt.

**Arnoldus:** Epotavimus ipsum omnes, in uxore tua moratur.

**Uxor:** Ego ipsum exhauriam, ubi hunc bolum peredero.

**Hospes:** Serve, tolle hæc, ac alia affer edulia, muta quadras, et mundas redde.

**Uxor:** Marite, excipe convivas ut moris est, ad carnes tostas.

**Hospes:** Adventus vester me delectat, ad has gallinas et buccellam carnis porcinæ in veru paratam vos vocavi, oro æquo accipite animo: si parcus et modicus est cibus, largior erit potus.

**Convivæ:** Ô hospes apparatum lautiorem quàm opus fuisset fecisti, non debueras nostri causa diem festum instituisse.

**Hospes:** Tempori inserviendum est nonnihil, dierum licentia et patinarum exigit lautitiam. Arnolde, hunc calicem ad imum usque tibi præbibo.

**Arnoldus:** Prosit tibi. Martine hoc poculum tibi præbibo, ut et tu deinde exorbeas.

**Martinus:** Præbibitis nulli quàm mihi, video, quid monstri alitis? creditis me metam esse, in quam dirigantur pocula, ut sagittæ in scopum? Citharœde hoc cyatho te adorior, ut nobis à cœna dulcem exhibeas citharæ pulsum.

**Citharœdus:** Accipiam abs te libenter.

**Hospes:** Serve, affer bellaria, video convivas anhelare choream.

**Martinus:** Nos viri non, fortè hæ nymphæ saliendi amore ardent.

**Hospes:** Mox surgemus.

**Uxor:** Edant prius, ut ita maturare conaris?

**Arnoldus:** Quis usque, ut vultur edere potest?

**Martinus:** Si visum fuerit hospiti, tollatur cibus.

**Hospes:** Fiat. Puer adsis, et hymnum postremum recense.

**Puer:** Gratias dicimus Deo trino in personis, uni in essentia, qui sua immensa potentia condidit omnia, gubernat universa, qui nos indignos famulos hoc vesperi suo pavit munere, ipse nobis largiatur, ut post hoc exilium secum in æternum fruamur cœlitum lætitia, suóque potiamur conspectu per IESUM Christum.

**Convivæ:** Amen.

**Hospes:** Habeo vobis convivæ humanissimi, gratiam, quòd ad hoc conviviolum meum exiguum dignati sitis venire, oro lubenti accipite animo quæ præsto fuêre, vice alia delicatiora exhibebo.

**Convivæ:** Grati erimus, et quandoque par pari referemus.

**Hospes:** Cytharœde nunc fac resonare citharam.

**Citharœdus:** Laudare nescio: nisi cantus agrestes et rusticos, non regios.

**Hospes:** Id refert nihil: nescis illud Bebelii: Cuiuscunque fistulæ cantus valet amanti choreas?

**Citharœdus:** Age, et salite, ipse ludam.

**Martinus:** Ipse sat choreæ fessus sum.

**Hospes:** Uxor instrue rursus mensam stribiliginibus et aliis bellariis mellitis, ac saccharo conditis.

**Uxor:** Omnis diu sunt parata.

**Hospes:** Nunc venite vos convivæ ad has stribiligines, sumemus nocturnam comessationem, hora exigit. Si quem hoc halec delectat salsugine erutum, attingat.

**Convivæ:** Nunc præsto est ieiunium.

**Hospes:** Cras in prandio rursus unà auspicium sumemus temporis esurialis, in his meis ædibus, sicuti nunc invicem peregimus dies Lupercales.

**Convivæ:** Tu vale in crastinum.

**Hospes:** Valete et vos: faxit Deus, ut anno abhinc proximo rursus unà simus lætiores, et minus delictis contaminati, ac interim crebro.

**Convivæ:** Id Dii superi et nobis et tibi concedant.

*Finis.*

# Hermannus Schottennius Hessus studiosae Iuventuti S.P.D.

Quæ renascuntur, nosti, tenera et studiosa iuventus, immutantur paululùm, novíque aliquid secunda nativitate accipiunt. Sic homines per baptismum renati, mundi ab originali peccato fiunt. Phœnix unica avis Arabiæ, igne seipsam comburens, renascitur iunior et pulchrior: veluti serpentes pelliculam vetustam, per angustam arborem repentes, deponunt, tandémque à rugoso senio liberantur. Nihilque usque adeò est quod renascendo, vel temporis progressu non immutetur, lepidiúsque et candidius reddatur. Ideo et mihi nuper, quum hæ confabulationes denuò à Typographis essent excudendæ, placuit ut prodirent elimatiores, locupletatæque triginta conviviis sequentibus. Convivia addidi, non collocutiones pueriles. Quicquid enim agitur inter homines dum otiantur, poculis indulgetur, nam inde amicitia oritur, odium et mœror discutiuntur, hilaritas et benevolentia mutua acquiruntur. Auxi his conviviis, grandibus dictis descriptis, ut et tu adolescas, grandescásque sermone adultorum, non semper puerum sones loquendo. Vale.

Coloniæ, Millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

---

# Convivium Thelesphorianum, sive Esuriale.

## **Hospes**, **Uxor**, **Puer**, **Servus**, **Convivæ**, **Martinus** & **Arnoldus**.

**Hospes:** Súntne obsonia mox percocta et matura esui?

**Uxor:** Fermè, iube sterni mensam.

**Hospes:** Heus puer, ubi latitas?

**Puer:** Adsum here.

**Hospes:** Mensam suo apparatu decorato, statim convivæ aderunt, nam prandendi hora imminet.

**Puer:** Expediam festinanter.

**Hospes:** Tu serve vinum prome hornum et bimum, ac absynthio conditum.

**Servus:** Efficiam domine.

**Hospes:** Cervisiæ quoque unum aut alterum poculum.

**Uxor:** Omnia edulia sat cocta sunt, accubitum iremus si adessent convivæ.

**Hospes:** Spero quod actutùm advenient, ostium credo pulsant. I Puer, resera fores.

**Puer:** Ibo, en adestis, herus vos moratur.

**Convivæ:** Ipsi iam adsumus. Salvus sis hospes noster, ut vales hoc esuriali tempore.

**Hospes:** Valeo pugilicè, salvi et vos sitis: vestrum adventum desiderabam, ilico manus abluite, et accumbite mensæ.

**Convivæ:** Faciemus, primus tu accumbe.

**Hospes:** Hic in sella mihi est locus. Puer, benedic prandium.

**Puer:** Benedicite.

**Convivæ:** Dominus.

**Puer:** Quicquid appositum est, appone túrque cibi et potus,

benedicere et conservare velit dextera CHRISTI, sumentibúsque salubre reddere. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

**Convivæ:** Amen.

**Puer:** Pater noster.

**Hospes:** Orationem dominicam et Salutationem angelicam quisque secum oret. Nunc cibo fruimini, alius non est quàm hesterno vesperi cibus edendus.

**Convivæ:** Sic dierum conditio exigit.

**Hospes:** Hoc iusculum pisarum exorbete, conferet cerebro, et stomacho non oberit.

**Convivæ:** Proderit per Herculem, medebitúrque dolori capitum nostrorum ex hesterna compotatione contracto.

**Hospes:** Ideò imbibite ipsum dum calet et fervet. Nunc haleces has edite, elixas aut tostas.

**Convivæ:** Desidiosi non erimus.

**Hospes:** Edite et bibite, vobis non ministrabo: incommodabit vestro ventri, si à cibo quieveritis. Serve aliud edulii affer, mundósque orbes redde. Nunc de hoc vino absynthio condito, singuli primum facietis haustum, salubre est. Præbibo tibi Martine, tu proximo tuo propines.

**Martinus:** Non obsit tibi bibenti.

**Hospes:** Arnolde tibi præbibo.

**Arnoldus:** Sit salutiferum.

**Hospes:** Ordine quisque lambat de ipso. Ut sic abstemii estis? neque potu, neque cibo utimini alacriter, fortè hic cibus vos parum delectat.

**Convivæ:** Ab hesterna cœna adhuc saturati sumus.

**Uxor:** Obsonia hæc palato non adeò arrident, ut quæ Lupercalibus diebus edimus.

**Martinus:** Tempori serviendum est, cuticulam hactenus curavimus, nunc genium fraudare oportet.

**Hospes:** Breve est tempus, homini sano curriculò abibit.

**Arnoldus:** Bene valenti, et piscium copia abundanti, non his quibus panis nudus est rodendus.

**Uxor:** Diligenti Deum nihil est difficile.

**Martinus:** Verum est, nam ut Plautus inquit: “Amor condimentum est, amara dulcia faciens”. Sed admiramur quis primus hoc esuriale tempus sancivit.

**Hospes:** Maiores nostri, sanctique Patres Ecclesiæ, et Pontifices in exemplum Prophetarum et CHRISTI, qui se ieiunio macerarunt.

**Arnoldus:** Cur est vocatum tempus “Thelesphorianum”?

**Hospes:** Aiunt Thelesphorum Papam Quadragesimam sic instituisse, ut ab Ecclesia peragitur.

**Arnoldus:** Quid prodest tamen?

**Hospes:** Vitia corporis comprimit, animam salvat, ventri pestem, crumenæ commodum, et crapula decoctionem affert.

**Martinus:** Cur non indictum est oleum, ut butyrum et lacteus cibus?

**Hospes:** Lac et butyrum naturæ sunt sanguineæ, nam lac est sanguis vaccarum, colore tantum mutato, sed oleum nihil in se carni affine habet.

**Arnoldus:** Quare à cibis quibusdam arcemur, non autem ab aliquo potus genere?

**Hospes:** Sic nostris placuit maioribus, et non tantum saginat potus ac cibus.

**Uxor:** Loquendo tempus teritis, et interim cibus frigore corrumpitur.

**Hospes:** Quisque strenuè edat et potitet, ipse nullius edulii sum cupidus, nam stomacho non admodum valeo.

**Martinus:** Et nos parum bene valemus.

**Hospes:** Puer tolle hæc, et nuces, pyra, ac ficus affer, et libum mellis. Arnolde, hoc cypho te adoriar.

**Arnoldus:** Bibe salubriter.

**Hospes:** Puer, singula conde, et hymnum postremum dicito.

**Puer:** Quicquid sumpsimus potus ac cibi, id nobis salutiferum reddat

ille, qui unus est salus omnium.

**Convivæ:** Amen.

**Hospes:** Vos convivæ boni et æqui accipite, quæ præsto fuêre, meliora, obsonare non potuimus.

**Convivæ:** Tu gratiam habe.

**Hospes:** Gratulor vestro adventui.

**Convivæ:** Grati nostro nomine tibi sint superi.

**Hospes:** Nunc vos amici gratiarum actionum haustum bibite singuli.

**Convivæ:** Tu nunc vale, nos nostros repetemus Penates, quandoque par referemus.

**Hospes:** Diu relatum est.

---

# Pythagoricum Convivium.

**Pythagoras**, **Hospes**, **Discipuli**, **Convivæ**.

**Discipuli:** Salute te impartimur plurima, vir sapientissime.

**Pythagoras:** Eam et vobis opto.

**Discipuli:** Esset nobis nonnihil tecum colloquendum, si audire velles.

**Pythagoras:** Audiam lubentissimè, cur venistis? dicite.

**Discipuli:** Adsumus, cupidi literarum, quas sub tua cupimus discere ferula, si in discipulos nos habere velis.

**Pythagoras:** In meam instructionem admitto nullum, nisi ipsius indolem et Minervam sim exploratus.

**Discipuli:** Quo tum ignotorum experimentum accipis, ingenia qualia habeant?

**Pythagoras:** Istud vestra refert nihil.

**Discipuli:** Quibus infœcunda contigit Minerva, cósne instruere laboras?

**Pythagoras:** Illos colendos non suscipio, non minus ac agricola sterilem terram, quia laborem luderem.

**Discipuli:** Non possent literis imbui infeliciter nata ingenia?

**Pythagoras:** Instruuntur opera magna, sed profectu pusillo aut nullo. Agri enim non fertiles, et si curantur, non tamen fruges proferunt.

**Discipuli:** Precamur colendissime Philosophe, nos in tuorum discipulorum gregem suscipias.

**Pythagoras:** De vestris ingeniis prius periculum sumam, an apti sitis literis, tum instruendos assumam.

**Discipuli:** Auscultabimus tuis dictis adunguem lubentissimè.

**Pythagoras:** Prandebo, modò meæ adsitis mensæ, tum huius gymnasii mei ritus et leges cognoscetis.

**Discipuli:** Parebimus tuo verbo.

**Pythagoras:** Puer, mensam cibo præpara, prandendi hora est. Adolescentes vos mensæ assidete, ego hîc accumbam. Cibum consacremus. Omne quo vescemur modò, cibum et potum nobis benedicere velit Iupiter, cœlitésque omnes, in nomine ipsius qui trinus est in personis, sed unus in essentia.

**Discipuli:** Amen.

**Pythagoras:** His obsoniis vulgaribus pisis, pyris, pomis, potúque vilissimo esurientes vos alite, non alium cibatum hæc mensa habere solet.

**Discipuli:** Nunquàm carnes neque pisces?

**Pythagoras:** Minimè gentium, essemus usqueadeò immanes et impii, ut victitaremus carnibus animalium et piscibus!

**Discipuli:** Esset illud impium et immane?

**Pythagoras:** Detestabilissimum est humanæ naturæ.

**Discipuli:** Passim tamen locorum bis cibis aluntur homines.

**Pythagoras:** Aliud Philosophia nos docet, quæ ab istis nos detrahit, brutorum vesci carnibus et piscibus, maximè impium est.

**Discipuli:** Quare? doceas nos illud humanissime præceptor.

**Pythagoras:** Nos Philosophi dicimus animas esse immortales, et post mortem animalis in aliud transire corpus, ideo si carnibus beluinis vescerer, timerem mei patris animam ne devorarem.

**Discipuli:** Cur piscibus tum abstinere soles?

**Pythagoras:** Piscis animal innocuum est, nihil exitii hominibus inferens: ideo in ipsum nostri morsibus sævire non decet.

**Discipuli:** Vesceris aliis cibis omnibus?

**Pythagoras:** Famem discipuli mei et ego sedamus alimento perquàm exiguo et vili.

**Discipuli:** Difficile nobis erit assuescere tam tenuiter victitare, qui laute hactenus apud parentes aliti sumus.

**Pythagoras:** Ferenda sunt vobis complura, si scientia metam cupitis. nam patientia Philosophia est radix et fulcimentum.

**Discipuli:** Quibus legibus tui sunt addicti discipuli?

**Pythagoras:** Variis, uni tamen præcipuè.

**Discipuli:** Quæ illa est?

**Pythagoras:** Ut per quinquennium taceant.

**Discipuli:** Cur ipsis loqui prohibes?

**Pythagoras:** Ideo ut tacendo audiant, et discant ab aliis quid sit loquendum, antequam ipsi verba proferant.

**Discipuli:** Difficillima factu nobis ista videntur.

**Pythagoras:** Viribus vestris si non conveniunt, alium præceptorem quærite.

**Discipuli:** Experiemur quid vires nostræ possint, et quid ferre recusent.

**Pythagoras:** Sic facite, strenuèque me docente literas discite.

---

# Philosophica mensa.

**Plato** hospes, **Aristoteles**, **Cicero**, **Demosthenes**, **Convivæ** & **Minister**.

| | |
|---|---|
| **Plato:** | Mensam ac patinas accedite literarum fervidissimi adolescentes, iamdudum fortassis fame vobis crepuerunt intestina. |
| **Aristoteles:** | Esuriei adhuc sentio nihil. |
| **Cicero:** | Et ipse nondum famelicus sum. |
| **Demo:** | Libros legendo, esuriem prorsus non sensi. |
| **Plato:** | Ô nobiles literarum cultores, qui chartis animos et corpora farcîtis, mensæ nunc accumbite, cibóque corporeo naturam fulciatis. |
| **Aristoteles:** | Præsto sumus venerande præceptor. |
| **Plato:** | Serve edenda nobis tuis precibus consecra. |
| **Minister:** | Quæ iam sumemus edulia, ea et nos benedicat qui creavit universa, terram, mare, cœlum, omniáque in ipsis contenta, mortuorúmque resurrectionem faciet, unus in essentia, licet cum populo sit dicendum multos esse Deos, unus autem verus est, qui dapem hanc nostram benedicat. |
| **Convivæ:** | Amen. |
| **Plato:** | Esuriens nunc edat, non famelicus, edere non tentet, nam nocivus est omnis cibus, qui præter famem vel editur, vel ad edendum illectat. |
| **Aristoteles:** | Palato cibum inferam, tum experiar an sibi sapiat. |
| **Plato:** | Potum præbe tu Endimion, ut stas cogitabundus? Hac lance latrantem sedate stomachum eduliis, ultrà nihil habebitis quàm bellaria. |
| **Cicero:** | Abundè satis erit, neque vultures vel lupi sumus. |

**Plato:** Potu hoc tenui et vili cibum subsidere facite.

**Demo:** Curabitur.

**Plato:** Potus est non nectareus, sed Philosophicus, rationem bibendi non adimens, nec corpora debilitans.

**Aristoteles:** Convenit literis deditis, aliâs Minerva debilitata scientiæ fulcimentum laberetur.

**Plato:** Puer patinam tolle, et bellaria appone, butyrum, caseum, nuces, et poma, mundásque quadras. De his edite epulis, si prior patina minus vestris arriserit palatis.

**Cicero:** Oppidò meis placuit faucibus.

**Plato:** Edite perniciter, ne hîc moremur diutissime.

**Demosthenes:** Eruditissime Præceptor, exoptaremus unum à te, ut doceres quale debeat esse convivium Philosophicum vel literatorum.

**Plat:** Quàm lubentissimè istud efficiam, vos quæ dicam sitientibus auribus accipite.

**Aristoteles:** Advertemus diligenter.

**Plato:** Convivium Philosophicum, vel literarium, vel literatorum, tenue erit cibis et frugale, sed prudentibus dictis et factis providis abundantissimum, operámque quilibet adhibebit, ut doctior surgat à mensa, quam ipsam accessit.

**Cicero:** Quid si nullus fiat sermo doctus, Latinus et prudens?

**Plato:** Convivium Philosophicum dicendum non erit.

**Cicero:** Compotandóne certabunt poculis?

**Plato:** Istud popularibus relinquant, ipsi literariis haustibus se invicem exhilarent.

**Aristoteles:** Obsoniis quibus vescentur.

**Plato:** Stomachum quæ non onerabunt, neque ingenii vires tollent.

**Demosthenes:** Nunquam genio indulgebunt, largius bibendo et edendo?

**Plato:** Ad pocula indulgere genio, quid aliud est quàm ingenium, memoriam, thesaurum scientiæ amittere et enecare?

**Cicero:** Nihil convenit Baccho cum Pallade?

**Plato:** Dissident odio maximo.

**Demosthenes:** Tamen Bacchus excitare ingenium dicitur, cùm quisque ad pocula discere conatur, et Mantuanus dicit: “Fluit melior post pocula sermo”.

**Plato:** Eruditorum est, longè à vulgo dissentire. Puer, hymnum à cibo profer.

**Puer:** Qui nos pavit sua gratia, sit benedictus in secula.

**Convivæ:** Amen.

---

# Diogenicum Convivium.

**Diogenes** hospes, **Alexander**, **Aristippus**, **Chrysippus** convivæ.

**Diogenes:** Quid ita admirabundus me aspicis tu rex Alexander?

**Alexander:** Aspicio te, quòd ita dolio infides instar porci vel canis, quum cæteri homines in domibus suis tecto soleant agitare.

**Diogenes:** Mores hi mihi arrident, placeant aliis sui ritus, mea non refert.

**Alexander:** Ecquid petis à me Rege potente, totiúsque orbis domino?

**Diogenes:** Prorsus nihil, quàm ut illud mihi non surripias, quod dare non potes.

**Alexander:** Quod illud est?

**Diogenes:** Stans ante dolium impedis solem, quòd vas meum non ingreditur, ideo discede, méque solis splendore potiri concede.

**Alexander:** Discedam lubens, sed éstne quid edulii, quo hoc prandio stomachum satures?

**Diogenes:** Tantùm adhuc habeo, quo me pascam, sed tibi tuíque similibus ventri deditis non famem expleret, sed ad edendum excitaret.

**Alexander:** Dic cuius farinæ sit cibus?

**Diogenes:** Frustum panis aridi, duri et mucidi, parúmque crudi et viridis oleris.

**Alexander:** Non ad ignem coquis olus ipsum?

**Diogenes:** Natura mihi ollam dedit, qua cruda coquo, digera, et corpori apta facio.

**Alexander:** Quæ ista est olla?

**Diogenes:** Stomachus in meo positus ventre, nunquam quiescens, semper laborans et fervens ad insumpti cibi decoctionem.

**Alexander:** Frigidus cibus et crudus, non convenit homini, ut medici dicunt.

**Diogenes:** Natura medicorum est optima.

**Alexander:** Convivas nunquam vocas in hoc dolium tuum?

**Diogenes:** Non, quia quibus ego delector et contentus sum, aliis hominibus displicent, et ab ipsis nauseant.

**Alexander:** Prandebimus hodie tecum nos tres, ego, Aristippus, et Chrysippus, si non ægrè tuleris.

**Diogenes:** Convivæ mihi si esse volueritis, esuriendum vobis erit, nam nihil est vestra delectans palata.

**Alexander:** Tua erimus mensa contenti.

**Diogenes:** Agite tum in terram discumbite, vel vestes substernite, neque lectos, neque sellas habeo.

**Aristippus:** Esto, humi sedebimus, stratis tunicis, tu mensam obsoniis para.

**Diogenes:** Mensa mihi est sinus, manus quadra, culter dentes.

**Chrysippus:** Porrige nunc nobis edenda.

**Diogenes:** Deum prius salutate orationibus vestris.

**Alexander:** Tu ut hospes hymnum præfare.

**Diogenes:** Deus totius universi creator, rector et gubernator, humani generis plasmator, pascens creata omnia, panem et olus ac aquam iam sumenda nobis benedicat.

**Convivæ:** Amen.

**Diogenes:** Nunc acri morsu istos panis bolos edite et rodite.

**Alexander:** Hui, durus est nimiùm, dentes fermè elido mordendo.

**Diogenes:** Hîc aquæ intinge, ut mollescat.

**Aristippus:** Nihil pani addemus obsonii?

**Diogenes:** De hoc crudo olusculo aliquid addite, vel sine obsonio ipsum comedite.

**Alexander:** Obsonium ubi deest, insipidus est panis.

**Diogenes:** Hîc in olla aliquid oleris elixi reconditum habeo, sed tepidum non est, illud edite.

**Chrysippus:** Immunda est olla, nauseo aspicere, nedum ex ipsa edere.

**Diogenes:** Si nauseas, mihi sinas, cui mel sapit.

**Alexander:** Sito, panis mihi labia exiccat.

**Diogenes:** Pura ista lympha sitim comprime, alius mihi potus non est.

**Alexander:** Ô tu miserrime Diogenes, qui huiusmodi victitas epulis!

**Diogenes:** Miser non sum, natura quantum expetit edo et habeo.

**Alexander:** Malo me adhuc Alexandrum esse et regem, quàm Diogenem et Philosophum pauperrimum.

**Diogenes:** Et ego nollem è Diogene fieri Alexander.

**Alexander:** Prorsus nihil aliud habes quod edamus?

**Diogenes:** Pyra et poma nonnulla mihi adhuc sunt, sed acerba et dura.

**Aristippus:** Illis non capimur, nam dentes hebetes faciunt. Tu vale, nos nostram revisemus aulam regiam et dapsiles lances.

**Diogenes:** Abite, ego hîc in dolio naturæ rimabor effectus.

---

# Aristippicum Convivium, sive Aulicum.

**Aristippus** hospes, **Theophrastus**, **Crates**, **Anaxagoras**, **Diogenes** & **Minister**.

**Aristippus:** Ô Diogenes è tuo proripe vase, et nobiscum congredere in Regis nostri palatium, pretiosioribus te excipiemus.

**Diogenes:** Discedite ad vestram crapulam, ego mea delector inedia.

**Aristippus:** Famelicè vivas quoad placuerit, ipse aulicè victitare malo.

**Diogenes:** Tu patinarius es Philosophus, ipse contemplatione naturæ plus capior, quàm opimis tuis patinis.

**Aristippus:** Alios convivas vocabo philosophos, si tu advenire recusas.

**Diogenes:** Id facito.

**Aristippus:** Heus vos Philosophiæ cultores, Theophraste, Crates, et Anaxagora, pluteos vestros seponite, mecúmque in regiam aulam pergite sumptum cibum.

**Philosophi:** Congrediemur lubentes.

**Aristippus:** Adsitis, ac studio maceratas vires mensa opipara reficite.

**Philosophi:** Comitabimur te, faciles sumus ubi convivæ vocamur.

**Aristippus:** Ingredimini igitur, prandendi tempus est, Rex suíque aulici mensæ accumbunt.

**Philosophi:** In solum eamus locum, ubi aulicorum non est strepitus, et præsentia.

**Aristippus:** Hanc cellulam intrabimus, et nos includemus, quòd non obruamur à pluribus.

**Philosophi:** Tum aperi, et mensam obsoniis onera, esurimus acriter, nondum ientati sumus.

**Aristippus:** Mox culinæ minister afferet edulia, en adest, ut lupus in fabula.

**Minister:** Hunc cibum nobis Deus benedicat.

**Philosophi:** Amen.

**Aristippus:** Benedictus qui est in ævum, omnibúsque universis imperat, cuncta suo nutu gubernat, benedicere velit ea quæ nunc sumemus corporis stabilimenta.

**Philosophi:** Amen.

**Aristippus:** Nunc cultros stringite, voragines vestras his primis epulis implete, quoad lautiora dabuntur.

**Philosophi:** Impigrè edemus, stomachos habemus fame trepidantes.

**Aristippus:** Tum ipsis medeamini cibo et potu: de his aprinis clunibus vel leporinis sumite.

**Theophrastus:** Porcina carne prius vescemur.

**Aristippus:** Istam relinquite familiæ, vos delicatiorem comedite. Ex hoc argenteo poculo omnibus vobis præbibo, et prius tibi Theophraste.

**Theophrastus:** In Iovis bibas nomine.

**Aristippus:** Nunc bibas et tu, vinum est Lesbium.

**Theophrastus:** Illo teneor, nam meæ est nationis.

**Crates:** Ô Aristippe tu hîc argenteis edis patinis, aureísque bibis poculis: in nostris Musæis nos ligneis vasis bibimus et edimus.

**Aristippus:** Sapere vultis, sed plurimùm desipitis, qui macra mavultis mensa in latebris vivere, quàm dapsilicè apud principes.

**Anaxagoras:** Consulimus animæ nostræ, ipsam scientia et virtute decorantes.

**Aristippus:** At interim corpori obestis, et mortem macie prævenitis et anticipatis.

**Anaxagoras:** Philosophos id decet impallescere chartis, non usque genio indulgere.

**Aristippus:** Istud et ego quondam feci, optimúmque credidi, tandem fame compulsus, Aulicus, ut sum, fiebam.

**Theophrastus:** Philosophiam tu iam curas culinariam, sed nos literariam.

**Aristippus:** Interdum etiam adhuc libris legendis incumbo, non totus ferior à literis.

**Anaxagoras:** Male convenit per Herculem Philosophiæ studio cum opiparis patinis.

**Aristippus:** Attamen dulce est corporis culturam gerere, simul et Philosophiæ utcunque studere.

**Theophrastus:** Nos malumus ad lucernam latêre discentes et quieti, quam principum nutibus inservire.

**Aristippus:** Nescitis principibus viris placuisse, non ultimam et postremam esse laudem?

**Crates:** Laus maior virtuti est placuisse et adhæsisse.

**Aristippus:** Abeant ista, quisque sua sorte vivat, mihi hæc fortuna arridet. Assas istas carnes ferinas decerpite, vinóque pretioso isto utimini.

**Theophrastus:** Saturi sumus, tollantur dapes, domum versus regrediamur ad codices nostros.

**Aristippus:** Quando lubet, non vos morabor.

**Anaxagoras:** Hymnum igitur à cibo nobis ut hospes recense.

**Aristippus:** Laus, honor, et gloria sit sempiterno Iovi, cœlo terráque imperanti, quòd cibis nos pavit, famelici qui fuimus.

**Philosophi:** Amen.

**Aristippus:** Nunc literaria vestra antra repetite, chartas voluite et invertite.

**Philosophi:** Tu vale, grati quandoque erimus, quando licebit.

**Aristippus:** Non moror gratiam vestram, me alit Rex, et portat equus.

---

# Regium Convivium post ferias Epiphaniæ.

**Rex**, **Regina**, **Dux**, **Obsonator**, **Cancellarius**, **Secretarius**, **Cubicularius**, **Stultus** & **Servus**.

| | |
|---|---|
| **Rex:** | Ô mea regina pulcherrima, quando convivium nostro regno et imperio debitum, nostris aulicis exhibebimus et faciemus? |
| **Regina:** | Quando domino Regi meo generosissimo placuerit. |
| **Rex:** | Quid si ad hodiernam vesperam ipsius sumptus faceremus? |
| **Regina:** | Non displicebit mihi. |
| **Rex:** | Habes quæ cœnam delicatam redderent? |
| **Regina:** | Sunt mihi gallinæ tres, duo capi, mediúsque agnus. |
| **Rex:** | Sufficiet, gallinas cum carne agnina elixa, capos et agni medium ad veru coquas. |
| **Regina:** | Executum reddam. |
| **Rex:** | Sic facito, ego interim aliis intentus ero. |
| **Obsonator:** | Ô Rex noster, quando regale convivium tuis aulicis parabis? |
| **Rex:** | Ad vesperam, tu obsonatum eas, curáque ut singula in cœnam sint parata, aut tuo defungeris magistratu. |
| **Obsonator:** | Fidelis ero. |
| **Servus:** | Magnifice domine Rex, sternam mensam? obsonia singula penè sunt percocta. |
| **Rex:** | Exequere tuum munus, adsuntne ministri et satellites nostri? |
| **Servus:** | Ad unum usque hîc domi sunt. |
| **Rex:** | Age, tum auspicemur cœnam, potum habendum fac promas, uníque copiam affer, et intrent amici cæteri, nostráque Aulæ domestici. |

**Servus:** Iubebo. Iussit et vult generosus Rex meus, ut intretis hybernaculum.

**Convivæ:** Intrabimus modò Salve Rex potentissime.

**Rex:** Rex sum nomine, sed sine regno.

**Convivæ:** Denique egregium habere nomen, nonnullos delectat, et præstat quam vocari ignominiosum.

**Rex:** Mensam ordine accedite, Dux, Cancellarius, quisque ut gradu est superior, ita et accubitu sit.

**Convivæ:** Discumbat et Rex noster.

**Rex:** Modò accumbam, et Regina mihi assidebit. Puer, benedictionis hymnum effare.

**Puer:** Benedicite.

**Convivæ:** Dominus.

**Puer:** Huius cœnæ regalis esculenta et potum benedicat ille, qui Rex regum est, nobísque faxit sint salutifera, qui hæc ipsa in sui facimus memoria, quòd ipse in mundum natus homo, die decimotertio tres Reges, et Magos suo aspectu exhilaravit. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

**Convivæ:** Amen.

**Rex:** Nunc hilares sitis potu et cibo, strenuéque edite, sic ego iam Rex vester impero et volo: istam carnis buccellam domina Regina mea grato accipiat animo.

**Regina:** Gratia sit domino Regi.

**Rex:** Vos nostri Aulici, Chrysippi non sitis, sed cutitulam curate basilicè.

**Convivæ:** Bibat Rex, tum et nos alii bibemus.

**Rex:** Propino Reginæ meæ nobilissimæ.

**Regina:** Prosit domino Regi.

**Stultus:** Rex bibit, Rex bibit: tandem cessa, noli exiccare, et mihi quippiam relinquas.

**Convivæ:** Quàm minimè facetus est morus ille.

**Stultus:** Clamando fatigabor.

**Rex:** Serve, assas affer carnes, et hæc aufer.

**Servus:** Mox faciam. Hîc est dominus Dux, Secretarius, Cancellarius, Cubicularius, quisque eorum dominum Regem et Reginam donant duabus vini mensuris.

**Rex:** Gratiam habeant, certè minimè decet Regem vino donari à suis famulis.

**Convivæ:** Nónne et Reges imperiorum à subiectis aluntur colonis?

**Rex:** Fateor. capos illos tostos, tu Secretari rumpe, frustáque assidentibus propone, nosti quomodo sit ad mensam ministrandum.

**Secretarius:** Lubens faciam ex Regis iussu.

**Regina:** Regi hunc calicem medium præbibam.

**Rex:** Sit commodo Reginæ.

**Convivæ:** Regina bibit, exclama tu fatue, ut devoras cibum ac vultur.

**Stultus:** Regina bibit, Regina bibit, Regina bibit.

**Rex:** Agninam illam carnem frustulatim disseca tu Cancellari.

**Cancellarius:** Perplacet, hoc frustum Rex noster sibi retineat.

**Rex:** Hilares agite sitis, post seculum Gentiles hanc occupabunt terram, ut vulgò fertur. Omnibus hoc poculum præbibo.

**Cancellarius:** Non obsit Regi. Stulte clama, Rex bibit.

**Stultus:** Rex bibit, Rex bibit, Rex bibit.

**Rex:** Tolle hæc serve, nemo ipsis vescitur, bellaria affer.

**Servus:** Adsunt.

**Rex:** Et orbes puros propone.

**Servus:** Feci.

**Rex:** Caseo hoc cibum subsidere facite, et butyro lenes facite animos.

**Secretarius:** Ad iugulum usque saturi sumus, nequimus omnem pœnum stomacho recondere.

**Rex:** Attamen buccellam minimam edite.

**Cancellarius:** Non recusamus istud.

**Stultus:** Regi domino meo præbibo.

**Rex:** Prosit magnifico domino stulto.

**Cancellarius:** Stultus bibit, stultus bibit, stultus bipsit, bipsit, bipsit.

**Stultus:** Salva Grammatica loquimini.

**Cancellarius:** En et stultus Grammaticæ peritus est.

**Rex:** Serve, tolle singula, omnes dormituriunt, video.

**Cubicularius:** Nox intempesta adest, cubitum eundi tempus est.

**Rex:** Puer, gratiarum actionis hymnum loquere.

**Puer:** De hoc convivio benedicamus Domino.

**Cancellarius:** Deo sit gratia.

**Puer:** Ille qui est ab ævo, manétque in æternum unicus et solus Deus, et nos suis muneribus pascit, salvat et vivificat, sit benedictus in secula seculorum.

**Convivæ:** Amen.

**Rex:** Vos boni amici et Aulici gratis animis accipite quæ affuêre: meliora daturus sum, dum imperium meum locupletius factum fuerit.

**Convivæ:** Gratiam agimus, habemus et referimus domino Regi et Reginæ, de benevolentia ostensa et impertita nobis.

---

# Convivium Amicorum.

**Socrates** hospes, **Ioannes**, **Petrus**, **Philippus**, **Convivæ**, **Xantippe** uxor, **Minister**.

**Socrates:** Hesterno die convivas vos vocavi per ministrum meum in hodiernum prandium, estísne venturi?

**Convivæ:** Sumus utique.

**Socrates:** Tum me iam comitamini, meridies instat.

**Convivæ:** Perplacet.

**Socrates:** Hilares spero erimus, nisi uxor mea quippiam litis inceperit.

**Convivæ:** Est tum iam per te offensa?

**Socrates:** Veteri suo more ob asini prospectum iurgia parat.

**Convivæ:** Nos ipsam crateribus faciemus lepidam et placidam.

**Socrates:** Salve mea Xantippe, hîc mecum veniunt amiculi nostri, in hodiernum prædium à me invitati.

**Xantippe:** Gaudeo, sint salvi vestri adventus amici intimi.

**Convivæ:** Gratiam habemus.

**Xantippe:** Manibus ablutis, quando lubet ite accubitum.

**Socrates:** Fiat, vos amici vestes exuite, fervet hybernaculum calore, et ingredimini.

**Convivæ:** I tu prior.

**Socrates:** Sequimini, præcedam.

**Convivæ:** Hîc commodior est aër, quàm foris, ubi mugit Boreas.

**Socrates:** Foris nasus muco concrescit ambulanti. Xantippe, quando visum tibi fuerit, edulia fac afferri.

**Xantippe:** Iam adducentur.

**Servus:** Hic cibus edentibus sit salutaris.

**Socrates:** Edenda consecra.

**Servus:** Benedicite.

**Convivæ:** Dominus.

**Servus:** Quibus hoc in prandio vescemur, alimenta et potus benedicta velit esse ille, qui omnibus benedicere soler, solus salutem affert, exitiáque tollit. In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis.

**Convivæ:** Amen.

**Socrates:** Cultellos mensæ imponite, et è patina comedenda accipite amicissimi convivæ.

**Ioannes:** Non cures, ad mensam desides non erimus.

**Socrates:** Ab olusculo si abhorret quis vestrum, seponat, et carnes edat.

**Petrus:** Oleribus lubentes pascimur.

**Socrates:** Non admodum tinctum est.

**Philippus:** Istud nihil refert, pinguedo nimia vocis affert raucedinem.

**Socrates:** Bibite et nunc, ne aridus in stomacho marcescat cibus: cervisiæ haustu ad mensam semper primum sumere soleo.

**Petrus:** Per Herculem opipari saporis est Cereris iste potus.

**Socrates:** Domesticus meus est potus, satis vilis, nam fruges perquàm carè veneunt, ideò et magis exiguam oportet coquere cervisiam, non multùm possidentem.

**Xantippe:** Pernas illas, aut caprinas carnes vel vitulinas rodite, quæcunque cuilibet sapuerint.

**Ioannes:** Hospes, cypho hoc dimidio te impertiar.

**Socrates:** Bibas salutiferè.

**Ioannes:** Nunc et tu bibendo par pari referas.

**Socrates:** Invitus maneo debitor ad pocula. Uxor, haustum amicitiæ tibi propino.

**Xantippe:** Sit tibi bono. Petre præbibo tibi.

**Petrus:** Accipio lubens, tibi non incommodet.

**Xantippe:** Petre, æquali haustu et alteri præbibas.

**Petrus:** Philippe, tantum tibi propinabo, quantum accepi ab hospita nunc nostra.

**Philippus:** Feliciter bibe, ut dignum est accipiam abs te lubentissimè.

**Socrates:** Serve, carnes affer recentes (ut vocant) nitidósque orbes propone cuilibet.

**Servus:** Efficiam.

**Socrates:** De his agninis carnibus edite, ad esuriei expulsionem: assas carnes non expectetis, nam frustraremini.

**Petrus:** Quantum sat est habemus, plura non exoptamus.

**Socrates:** Licet parcè instruxi focum, tamen ut amicos vos vocavi, credens vos boni consulturos mensæ tenuitatem.

**Ioannes:** Amici ad amicorum lances caseo et Cerere redduntur contenti.

**Socrates:** Serve, affer bellaria, hæcque conde, vel culinæ affer ministræ.

**Servus:** Exequar.

**Socrates:** Hîc nunc omnia habuistis obsonia: si stomachos implevistis, gaudeo: sin minus, boni tamen consulite.

**Ioannes:** Satis supérque præsto adfuit edulii.

**Socrates:** Serve, hymnum gratiarum rumina et lege.

**Servus:** Benedicamus Domino.

**Convivæ:** Deo gratias.

**Servus:** Dominus dominantium omniúmque quæ in cœlo et in terra sunt, imperator et conservator, de his à nobis sumptis nutrimentis, gratiam habeat in æternum.

**Convivæ:** Amen.

**Socrates:** Aequis animis accipite quas obtuli escas, lautiores alia dabo vice.

**Ioannes:** Lautissimè fovisti nos, gratos aliquando nos exhibebimus.

---

# Funebre Convivium.

**Filius** parentibus utrisque orbatus, **Hospes**, **Martinus**, **Conradus**, **Arnoldus** & **Mulieres** aliquot.

**Filius:** Ô me infelicem adolescentem, me desolatissimum iuvenem, me miserrimum hominem, quò me nunc vertam? quid vita mihi opus est? mors præstaret: cur vivere exoptarem, cùm mihi amicissimi parentes mei obierint, sola mea solatia et spes quæ fuêre? Ô tu crudelissima mors, quam acerbe me conturbasti !

**Arnoldus:** Ut ita agis? ut sic eiulas et lamentaris, pudétne te?

**Filius:** Ah, quid me puderet? præ dolore et mœstitia quid agam ignoro.

**Conradus:** Animam sume, precare Deum, ut parentum animæ quiete cœlesti fruantur, lachrymis ipsos in vitam non revocabis.

**Filius:** Ah, ah, vellem et mihi pestis vitam adimeret.

**Arnoldus:** Taceas illa, nondum Deo visum est ut moriaris, mortem precari noli, adhuc citius quàm placebit, tibi aderit.

**Filius:** Ô Deus miserere mei miserrimi, et ab hac luce tollas, ut unà sim cum Manibus meorum dilectorum parentum.

**Mulieres:** Lachrymas siste et precare requiem tuis defunctis parentibus, nos huc venimus vinum afferentes consolatum te, simúlque et tecum exporrectum frontem.

**Filius:** Nunc non est mihi neque animus, neque tempus lætitiæ, frustrà advenistis, exhilarari re nulla possum.

**Mulieres:** Animum lætum tibi reddemus favente Deo, antequàm hinc abibimus.

**Filius:** Istud si poteritis, admirabor: credo quòd si natura mea à summo Iove immutaretur, vix lætus fierem, adeò totum me luctus dolor omnibus partibus corporis, ut sagitta, penetravit.

**Mulieres:** Vino te ab omni mœrore illo liberabimus.

**Filius:** Tum potitabo vobiscum, ut animum recipiam.

**Conradus:** Cibum et vinum nos afferimus, quo te donabimus, et ipso animum tuum aspergemus, ut alacrior fiat, ut mente capti aqua perfunduntur.

**Filius:** Sedete, iubebo mensam sternere servum.

**Mulieres:** Nos ipsam linteo ipse tegemus, sine famulum suum pensum persolvere.

**Filius:** Nunc edite et bibite, si quid opipari attulistis è vestris penatibus: hîc omnes sumus luctu obruti et consternati, quòd ciborum penitus obliviscimur, pane et potu contenti.

**Martinus:** Hac vice oculos à lachrymis terge, et genio indulgeas.

**Filius:** Vix potero.

**Conradus:** Uno aut altero calice epoto redibit mentis alacritas, hoc poculo integro te consolabor, ut post me ipsum et tu ebibas.

**Filius:** Timeo ut potuero, gemitus et cordis tormentum vix concedet.

**Arnoldus:** Conandum quippiam præter opinionem, non dimittendus animus, constantia vel magnanimitas viros et arguit, et commendat: flere, lamentari, eiulare, mulierum sunt, viris inhonestissima.

**Conradus:** Poculum fac ebibas.

**Filius:** Propino tibi amicissime.

**Martinus:** Accipiam libenter, bibas felici omine.

**Arnoldus:** Propino tibi Ioannes dilecte, in honorem tuorum proborum parentum, morte iam ablatorum tibi.

**Filius:** Illorum nomine per vices post te bibam. Vicina, hunc calicem ebibam, vis et tu deinde ipsum exiccare si tibi præbibero?

**Mulieres:** Volo, etiamsi adhuc duplo esset maior.

**Filius:** Ut bibero, ita post me potabis et tu.

**Mulieres:** Faciam.

**Filius:** Vidén’? exorpsi, elambes tu.

**Mulieres:** Non omittam, tibi propino, Conrade.

**Conradus:** Bibas nomine superùm.

**Arnoldus:** Ut nunc te habes Ioannes dilectissime, nusquam mœror discutitur tibi in anima?

**Filius:** Labascit, nonnihil hilarior fio.

**Martinus:** Vinum solet hominum curas utcunque magnas solvere.

**Filius:** Gaudeo vos me accessisse consolatum, si unquam licebit per opes, rependam. Miror tamen unde mos sit ortus per vinum et convivium consolandi lugentes defunctos.

**Arnoldus:** À Gentilibus Thracibus, qui hominum puerperia luctuosa, sed funera lætabunda habuerunt.

---

# Convivium Nuptiale.

**Sponsus**, **Anna** sponsa, **Parentes** amborum, **Amici** invitati, **Famuli** & Citharœdi.

**Sponsus:** Vincti nunc sumus iugo matrimonii et capistro inextricabili.

**Anna:** Laus superis, nostrum matrimonium fortunet supremus.

**Sponsus:** Id faciet spero, si nos concorditer vixerimus.

**Parentes:** Salutem exopto tibi fili mi.

**Sponsus:** Gratiam habeo mi pater.

**Parentes:** Ô filia mea fac cum tuo marito vivas tranquillè.

**Anna:** Discors ipsa nunquam ero, si ipse non litem seminaverit.

**Parentes:** Ambobus sit felix, fortunatum coniugium.

**Sponsus:** Sic faciat Dei filius, ipsáque virgo Deipara.

**Parentes:** Sponsus mensæ accumbat, tum et invitati discumbent.

**Amici:** Felicitatem initi matrimonii optamus sponso et sponsæ.

**Sponsus:** Gratia sit vobis omnibus.

**Parentes:** Salvos vos advenisse gaudeo in nomine sponsi et sponsæ.

**Amici:** Ubínam sponsum conveniemus?

**Parentes:** Iam aderit. En aliâs inter amicos nugatur, eum accedite.

**Amici:** Salve sponse, gratulamur tibi ob hanc diem genialem, novámque tuam nuptam, et multum optamus felicitatis.

**Sponsus:** Par vobis Deus referat, et quò dignati estis meas invisere nuptias.

**Amici:** Maiora tuorum parentum causa faceremus.

**Sponsus:** Mutuum reddam, si quandoque inservire potuero vobis: nunc discumbite, edendi tempus est.

**Amici:** Obsequamur.

**Sponsus:** Vos famuli fercula afferte.

**Famuli:** Præsto sum, tu convivis præponito.

**Sponsus:** Istud vos exequimini, ipse prandium consecrabo hymno. Benedicite.

**Amici:** Dominus.

**Sponsus:** Christus Dei filius, hoc prandium benedicere velit, sua gratia donare, et nostro huic interesse convivio nuptiali, ut quondam in mundo humana carne in Cana Galilææ, cum gloriosa sua matre Maria dignatus fuit adesse.

**Amici:** Amen.

**Sponsus:** Nunc amici omnes, patinis et poculis vos consolamini et reficite.

**Amici:** Facere istud esuries nos bellè docebit.

**Sponsus:** Fortiter edite, sat vini et cibi proponetur.

**Amici:** Sponse, propino tibi infelicitatem tuarum nuptiarum.

**Sponsus:** Sit saluti. Amici mei, cognati et agnati præbete vos hilares rogo.

**Amici:** Faciemus, ne cures. Quomodo pugni tibi placuerunt, quos hodie in templo accepisti, fuerúntne molesti?

**Sponsus:** Mordebant me nonnihil, tamen in hoc me consolabar, quòd vibices non intulerunt.

**Amici:** Cur plagis ita novos sponsos tundant, scísne?

**Sponsus:** Ignoro, nisi quòd consuetudinis est.

**Amici:** Audi, tibi dicam, sed ioco excipias.

**Sponsus:** Non me offendet.

**Amici:** In æde sacra novi sponsi pugnis afficiuntur, ut assuescant tum verba, tum verbera ab uxore, nova sua sponsa ferre.

**Sponsus:** Portendit illud?

**Amici:** Utique, sed compertúmne habes cur cereum lumen ardens sponsa præferatur in templum?

**Sponsus:** Non.

**Amici:** Ideo, qui uxorem ducit domum, flammam in ædes accipit, et perpetuum tormentum.

**Sponsus:** Spero talia me in sponsa mea non habiturum.

**Amici:** Neque istud nos credimus.

**Parentes:** Ô fili circumeamus exceptum convivas, caro assa præposita est.

**Sponsus:** Congrediare tu pater, meo loquere nomine.

**Parentes:** Agimus, habemus, et referimus vobis gratias, sponsus, sponsa, nósque ipsorum parentes, agnati et cognati, par paríque rependemus, ubi obsequio nostro indigueritis.

**Amici:** Grati erimus: quòd advenimus, sponte et lubentes fecimus.

**Sponsus:** Vos ministri tollite singula, tempus est ut munuscula dent amici, et choreæ ducantur.

**Famuli:** Faciemus velociter.

**Sponsus:** Gratiam dicamus Domino Deo, qui nos paruit, suáque gratia has nuptias fortunare velit.

**Amici:** Amen. Hoc munusculo aureo sponsum et sponsam donamus, quoad nostri filii adoleverint, tum repetemus.

**Parentes:** Gratiam referemus, et recompensabimus.

---

# Convivium Epicureum.

**Zeno** hospes, **Sardanapalus**, **Philoxenus** & **Æsopus** convivæ, **Servus**.

**Zeno:** Ô vos discipuli mei et convivæ, quid in mundo felicissimum esse creditis, hominísque summum bonum?

**Sardanapalus:** Incerti sumus. Tu nos præceptor instrue.

**Zeno:** De summo hominis bono in mundo sententiæ fuerunt variæ, aliqui in gloria, in divitiis nonnulli, alii in virtute, alii in sanitate corporis ponunt: omnibus autem illis nos verius dicimus in voluptate corporis, in cuticula scilicet curanda esse situm optimum hominis bonum.

**Philoxenus:** Quî hoc sciemus colende præceptor?

**Zeno:** Contemplamini animalia tam bruta, quàm rationalia, omnia videbitis natura esse procliva in voluptatem, in gulam, in crapulam et esuriem: famem ægrè ferunt, ferréque diu non possunt.

**Æsopus:** Sentio et meo corpore calcar esse incitans me ad curam palati, stomachi, gulæque saturitatem et expletionem.

**Zeno:** Quod natura omnium rerum parens et altrix ingenuit homini, quis hoc pessimum diceret?

**Servus:** Certè nullus sanæ mentis.

**Zeno:** Optimum est, quod conducit, prodest et iuvat: nónne?

**Philoxenus:** Inficias ire salva fronte nemo potest.

**Zeno:** Voluptas autem vel cura corporis, ipsi homini confert plurimùm, vitam conservat, corpus alit, quo fulcito et vivo, etiam anima, in homine pars nobilissima, valet: corpus enim est animæ stabilimentum et fulcimentum.

**Æsopus:** Abeant igitur ærumnosi Solones, famelici illi Philosophi, qui sua fraudant genia, se macerant, malúntque stomacho

inani et vano philosophari, quàm saturi et pleno ventre.

**Zeno:** In meas vos iurate leges, mihi vos addicite, Philosophiam vos docebo, et animæ et corporis culturam afferentem.

**Sardanapalus:** Tuæ ferulæ subdemus manus præceptor colendissime.

**Zeno:** Non olim fecisse vos pœnitebit, erudiam namque vos in Philosophia lucernaria, quam ad lucernas domi agentes imbibunt Sophi ipsi. Deinde Philosophiam Epicuream et voluptuariam, qua apud vulgares passim in tabernis, ubique apud principes et reges, grata sit vestra et præsentia et convictus.

**Philoxenus:** Quæ ista erit Philosophia voluptatis?

**Zeno:** Ut aliis præscribere poteritis, quomodo studere crapulæ, gulæ et ventri debeant.

**Sardanapalus:** istud si noscerem, in loco viatici magni æstimarem, nam nosco complures, qui omnia metiuntur crapula.

**Zeno:** Xerxes Rex Persarum repertori novæ voluptatis constituit pretium.

**Philoxenus:** Ecquid ærumnosis aliis Philosophis præmii pollicitus est, qui abstinentia victitandum esse dicunt?

**Æsopus:** Illis medium digitum ostenta.

**Zeno:** Permulti ubivis gentium nostram sententiam sequuntur, diu noctúque poculis et patinis addicti.

**Philoxenus:** Apud Milesios magno in pretio voluptas habetur, fames spernitur, expellitur, extremúmque malorum æstimatur.

**Zeno:** Sybarite delicatissimè victitantes in annum integrum, unius convivii apparatum fecerunt, convivas ante anni spatium vocaverunt, quo se ornandi restaret sat temporis.

**Sardanapalus:** Ô térque quatérque beatos et sapientes illos Sybaritas!

**Æsopus:** Tarentini quoque molles et delicati sunt nuncupati, ob voluptatis assiduum studium.

**Philoxenus:** Præcepta nobis præbe, quo illam voluptatem, felicissimum hominis bonum, amplecti poterimus utrisque brachiis.

**Zeno:** Faciam, advertite: Quoad vixeritis, edite, bibite, ludite: et cùm vos mortales noritis, præsentibus vos explete, post mortem nulla voluptas, post funera pulvis eritis, ea habebitis quæ libidine exaturata in vita hausistis. Ut quondam Sardanapalus ille noster rex Assyriorum in sepulchri sui Epitaphio inscribi iussit.

**Sardanapalus:** Quàm miseri hactenus desipuimus chartis additi, inedia vitam egimus.

**Zeno:** Tandem resipiscite: non minus poculis et patinis, quàm lucernis Philosophicis dediti sitis.

**Philoxenus:** Exequemur fidelissimè.

**Zeno:** Edite, bibite, curate cuticulam, genio indulgete, sic et hominibus accepti eritis.

---

# Convivium Caninum, vel Cereale.

**Salacon** hospes, **Codrus**, **Yrus**, **Amyntas**, convivæ.

**Salacon:** Salvete sodales mei pauperrimi: quid hîc gradum sistitis, nihil vobis domi est negotii?

**Codrus:** Nihil, neque negotii, neque cibi, neque potus, sed esuriei plurimum.

**Salacon:** Caretis et pane et aqua?

**Yrus:** Satis multum aquæ in ædibus habemus, sed illa sitim, non famem comprimit.

**Salacon:** Si esuritis, venite ad meos penates mecum comessatum.

**Amyntas:** Ah, quid tu nos aleres? tibi frumenti est penuria et victus.

**Salacon:** Domi meæ mihi tantum adhuc suppetit commeatus, quo vos saturabo vestrásque coniuges.

**Convivæ:** Credimus, verbis nos pasceres abundè et nugis, at non mensæ pabulo.

**Salacon:** Stomachis vos farciam, crepitantia intestina pacata efficiam, saltem credite et congredimini.

**Yrus:** Fidem damus, sed vide ne nos ludo habeas.

**Salacon:** Ridere non soleo amicos, licet ærumnosus sim.

**Convivæ:** Quid nunc cibi habes quo vescemur?

**Salacon:** Aliquot mihi sunt frusta panis ostiatim collecta, dura et fortè mucida, vilísque cervisia, et iusculum emendicatum.

**Amyntas:** Victus est nobis genuinus, ad stipem nanque rogandam nati credimur.

**Salacon:** Sedete et quiescite, in cibi sportula edenda quæram.

**Convivæ:** Sed propera, acriter esurimus.

**Salacon:** Istos orbes panarios adipe linitos edite proœmii loco, quoad aliud attulero.

**Amyntas:** Precemur prius Deo nostro redemptori hymnum.

**Salacon:** Benedicite.

**Convivæ:** Dominus.

**Salacon:** Christus Dei filius Deus et homo qui suo gratioso sanguine nos redemit, dignetur nobis exiguum et cereale prandium benedicere, qui sui sumus exemplar paupertate et mendicitate nostra. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

**Convivæ:** Amen.

**Salacon:** Orbes nunc illos panarios carne unctos edite, caro discessit in alvum divitum, nobis pauperibus in his orbibus reliquit pinguedinis vestigia.

**Codrus:** Ô quàm mellitè sapiunt!

**Yrus:** Longè dulcius carnes, cuius iusculo madent, sapuerunt.

**Amyntas:** Optimum condimentum fames est.

**Codrus:** Verùm crudas fabas (ut vulgò fertur) sapere ac coctas efficit.

**Salacon:** Nunc eleemosynas has edite, duræ sunt, attamen stomachum replebunt æquè ac mollissimæ forent.

**Yrus:** Sitio, quid in lignea hac lagena est potus?

**Salacon:** Cervisia est è solo furfure cocta, quam vulgò tenuem potum dicunt.

**Codrus:** Pitissabo eam.

**Salacon:** Facito, fortè palato non displicebit.

**Codrus:** Utcunque valet, verùm non satis igne est elixa.

**Salacon:** Stomachus consumet quod ignis calor non præstitit.

**Amyntas:** Præter hoc nihil quod edamus habes?

**Salacon:** Nonnihil iusculi mihi est, sed frigidum, lignis careo, aliâs calidum facerem.

**Amyntas:** Ô te miserrimum Salaconem: cares lignis, tamen foris ambulas lautè vestitus ac opulentissimus esses.

**Salacon:** Interdum conductitiis me orno vestibus.

**Codrus:** Mortalium omnium nos miserrimi sumus, qui ad crepidinem et fores divitum cogimur commeatum conquirere.

**Salacon:** Miseriæ nostræ meminit Plautus, dicens: “Miser homo est qui ipse sibi quod edit, quærit, et id ægrè invenit: sed illo miserior qui ægrè quærit, et nihil invenit: ille miserrimus, qui cum esse cupit, quod edat non habet”.

**Amyntas:** Sperandum, quòd aliquando nostra fortuna immutabitur, nam omnium rerum (ut Comicus dixit) est vicissitudo.

**Yrus:** Salus unica nobis est, ut Capnion scripsit, quòd “nihil possumus perdere, cùm nihil habeamus”.

**Salacon:** Divitum vita semper est solicita et curarum plena.

**Convivæ:** Hinc solvemus anchoram, emendicandi iam hora instat, nam apud divites modò mensæ tollentur.

**Amyntas:** Hymnum gratiarum actionis dicas.

**Salacon:** Deus pauperum consolator, omniúmque alumnus, de habitis his bolis gratiam habeat, nobísque sit auxilio, ut alias dapes precarias nanciscamur.

**Convivæ:** Amen.

**Salacon:** Nunc quisque divitum aulas adeat, stipem precatum in cœnam.

**Convivæ:** Fiet, tu vale.

---

# Convivium Plebeium, vel vulgare.

**Henno** hospes, **Greta** uxor, **Dromo**, **Parmeno**, **Simo**, vicini & convivæ.

**Dromo:** Ubi est noster vicinus Henno?

**Greta:** Non procul abest, quid ipsum quæritis?

**Dromo:** Convivæ sibi esse volumus, si integrum fuerit.

**Greta:** In horreo est, dans pabulum equis, advocabo ipsum. Heus, heus Henno adsis.

**Henno:** Quid me vis?

**Greta:** Hîc nonnulli te conventum expetunt.

**Henno:** Adero celerrimè, ô mei vicini quid vestri adventus portendunt, quídve advenistis.

**Simo:** Venimus tecum pransuri, domi nostræ culinæ algent, uxores in agris sunt et hortis.

**Henno:** Per Herculem infelici auspicio advenistis, ignoro an noster focus splendeat. Greta, ecquid in prandium nobis parasti eduliorum?

**Greta:** Olusculum cum duobus frustellis carnis porcinæ.

**Henno:** Sufficiet, tum et butyro ac caseo vescemur: sed est ad edendum maturum?

**Greta:** Penè, quando volueritis, linea mensam tegam, et prandium parabo.

**Henno:** Quàm primùm potueris, facito, hi vicini fortè esuriunt.

**Parmeno:** Non usque adeò.

**Henno:** Ex aquali lavetis manus, et mensæ assidete.

**Dromo:** Fiet nunc quisque apud se orationem dicat, hîc nullus est qui Latinè cibum benedicat.

**Henno:** Ipse dicam. Benedicite. In nomine Patris, et Filii et Spiritus

sancti. Amen.

**Parmeno:** Est benedictio admodum succincta.

**Henno:** Eam Parœcianus quondam docuit me. Olere et carne illa porcina famem pellite, venistis subiti hospites, ideò et præsentia boni consulite: si adventus vestros præscivissemus, splendidius paravissemus cibum.

**Parmeno:** Sileas, illa domestica patina et in ædibus nostris vivimus, quid ni et tum apud te ipsa essemus contenti? Sim. Multi patinas alienas spernunt, et in suis tuguriis vix nudo pascuntur pane.

**Dromo:** Ipse reiicio et contemno nihil præter pugnos.

**Greta:** Edite de olere illo: hodie in hortulo nostro recens est decerptum.

**Parmeno:** Belli saporis est, nam adipe madet. Sim. Porcina caro illa pinguet admodum.

**Henno:** Sus erat nostra cura alitus et educatus. Simo, tibi præbibo de hoc potu nostro domestico. Sim. Tibi non incommodet.

**Dromo:** Tu mihi propines, nam sitio acerbè.

**Simo:** Postquàm bibero, tibi lagenam porrigam.

**Dromo:** Bibe raptim, morari nequeo.

**Henno:** Tu uxor mea dilecta, lactis coagulati aliquid prome, si quempiam delectaret.

**Greta:** Afferam, sed fortè dulce non erit.

**Henno:** Salubrius est sine dulcedine.

**Greta:** Qui capitur lacte, edat.

**Dromo:** Plurimum meo arridet palato.

**Parmeno:** Tempore æstus stomacho convenit admodum, quia frigore ipsum perfundit.

**Henno:** Si lubet, cibo non parcite, aut carne, aut lacte vescimini.

**Parmeno:** Adulti sumus, edendum esse scimus ad dapes et patinas.

**Henno:** Caseum si quem habes pinguedine conditum, non è vitiato lacte paratum, eum deprome, et butyri recentis nonnihil.

**Greta:** Butyri illud Maio mense contusum à me, eo panem linite.

**Henno:** De hoc caseo sumite aut butyro, ut lenes animis efficiamini.

**Simo:** Vicine noster Henno, tibi propino.

**Henno:** Salutem opto imbibas.

**Dromo:** Fac tolli mensam, nobis in rus ad uxores eundum est.

**Henno:** Uxor conde singula. Gratia sit cunctipotenti Deo, qui nos alia sua clementia, cresceréque è terra facit, quo nos indigni vescimur, per CHRISTVM Dominum nostrum.

**Convivæ:** Amen.

**Henno:** Vicini mei parcum hoc prandiolum gratis accipite animis, vile fuit, ut villicorum solet esse mensa, vino caruimus, nam carè vænit, bibentibúsque obesse solet.

**Convivæ:** Tibi nunc agimus gratias: si aliquando tibi libuerit, rursum et ad nostras edes patinas.

---

# Convivium Divitum, sive opulentorum

**Crœsus** hospes, **Crassus**, **Alchmeon**, **Tantalus**, **Servus** & **Uxor**.

**Crœsus:** Serve, i vocatum ad me Crassum, Alchmeonem, et Tantalum, ut mihi in prandio sint convivæ, aliô qui soli cœnaturo.

**Servus:** Ibo facessum mandatum.

**Crœsus:** Dic me nolle ut emaneant.

**Servus:** Eloquar. Salve Crasse.

**Crassus:** Et tu.

**Servus:** Rogat herus meus ut sibi conviva esse digneris.

**Crassus:** Certè minus mihi iam est integrum.

**Servus:** Iussit, ut dicerem se nolle recusari, etiam Alchmeonem et Tantalum vocabo.

**Crassus:** Age, tum veniam.

**Servus:** Facias, abeo quæsitum et alios duos. Sis salvus mi Alchmeon.

**Alchemon:** Tu quoque.

**Servus:** Herum meum convenire debes iam in prandium.

**Alchmeon:** Prandebit solus?

**Servus:** Non, sed Crassus ipse aderit, et Tantalum iam ibo vocatum.

**Alchemon:** Tum lubens adveniam.

**Servus:** Præter vos tres penitus neminem ad mensam invitavit.

**Alchemon:** Abi Tantalum quæsitum, ego me accingam.

**Servus:** Ibo. Salve Tantale honestissime.

**Tantalus:** Et tu salvus sis.

**Servus:** Vult dominus meus ut secum prandeas, est quòd te conventum cupit.

**Tantalus:** Iam volebam auspicari prandium.

**Servus:** Parcas isti impendio in vesperam, et ædes nostras invise.

**Tantalus:** Auscultabo, et comitabor te.

**Servus:** Sic facies, et hero meo rem gratam facies.

**Crœsus:** Advenire vestrum est gratum mei amici: vocavi vos, aliôqui solus prandissem, quo nihil magis adversum mihi est.

**Convivæ:** Et nobis acceptius nihil est, quàm aliena vivere quadra.

**Crœsus:** Manibus aquam præbe tu serve, lavetis deinde accumbite. Tu Crasse istuc sedeas, tum tu Alchmeon, deinde Tantale accubitum eas.

**Crassus:** Tu hospes, supremè ac prior accumbas.

**Crœsus:** Hic mihi et mea uxori est sedendi locus. Benedicite.

**Convivæ:** Dominus.

**Crœsus:** CHRISTVS salvator omnium, redemptor et credentium, nobis huius prandii alimenta benedicta facere velit, ut ipsa in salutem animarum sumamus.

**Convivæ:** Amen.

**Crœsus:** Has gallinas dirumpite, et iusculo exotico bolos panis madefacite.

**Convivæ:** Non negligemus.

**Crœsus:** Serve vinum cyathis infunde vetus et novum.

**Servus:** Effectum reddam.

**Crœsus:** Bibite hilariter hospites mei, sat vobis largiar.

**Alchemon:** Impigri ad epulas esse solemus.

**Crœsus:** Poculum hoc vobis præbibam, ut grati vestri sint adventus.

**Tantalus:** Salutiferè sumas haustum istum.

**Crœsus:** Serve tolle hæc, assas carnes præbe et puras quadras.

**Crassus:** Alchmeon calicem medium tibi præbibo.

**Alchemon:** Sit commodo.

**Crassus:** Nunc et tu bibe.

**Uxor:** De his perdicibus, vel lepore aut capis illaridatis edite, quisque suo palato iucundum accipiat.

**Crassus:** Crœse hospes propinabo tibi, si alteri præbibere volueris.

**Crœsus:** Bibe, mei muneris ad pocula immemor esse non soleo.

**Alchemon:** Ô quàm delicatos et voluptuarios dies agimus nos opulenti, cùm interim pauperes esuriant.

**Tantalus:** Panis vix sat habent nonnulli inopum.

**Crœsus:** Opum mihi tantum est, quo exercitum alere vellem copiosum.

**Crassus:** Et ego frugibus et ære abundo non parum.

**Tantalus:** Argenti et bonorum acervum ego possideo.

**Crœsus:** Vivamus igitur genialiter.

**Crassus:** Posteris meis non multum relinquam.

**Tantalus:** Opibus ego quoad vixero potiar: nepotes mei si egebunt, quærant ut ipse quondam feci.

**Uxor:** Sed interim cibi estis immemores.

**Crœsus:** Serve bellaria affer.

**Crassus:** Illa non expectabimus, aliò nos vocant negotia, fac hymnum legi, nobis abeundum est.

**Crœsus:** Benedictus qui est in secula seculorum, nostro nomine habeat laudem et honorem, nostrique misereatur.

**Convivæ:** Amen.

---

# Convivium Paschale.

**Paterfamilias**, **Ioannes**, **Marcus**, **Benedictus**, **Iasperus**, **Gotfridus**, **Thylmannus**, famuli domus.

**Paterfamilias:** Ut se habent vestri stomachi et ventres? súntne vacui?

**Famuli:** Crepitant instar veteris membranæ librorum, et novarum solearum.

**Marcus:** Ecastor ilia mihi crepant, fauces lippiunt fame, crura ferre me nolunt, brachia vix tollere possum, ita viribus ieiunio sum exhaustus, instar lucernæ oleo exiccato.

**Paterfamilias:** Aqua manus singuli abluite, Paschalibus et novis cibis amissas corporis vires refarciemus.

**Benedictus:** Impigrè nos accingemus patinis istis.

**Paterfamilias:** Benedicite.

**Famuli:** Dominus.

**Paterfamilias:** Hæc est dies quam fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea. Pascha nostrum immolatus est CHRISTVS, itáque epulemur in azymis synceritatis et veritatis. Alleluia. Pater noster. Ovum quisque accipiat, deinde de perna et aliis carnibus.

**Thylmannus:** Esuries et fames mihi fuit vehemens.

**Paterfamilias:** Eam mutes iam saturitate.

**Iasperus:** Laus superis quòd ad hunc diem superstites mansimus.

**Gotfridus:** Gaudeo plurimum huiusmodi pisces in patinas rediisse.

**Marcus:** Hi pisces robur præbent maius, quam esurialis cibus.

**Benedictus:** Istud hodie experiar, an vires accipiam validiores.

**Paterfamilias:** Alterum edite ovum si lubet.

**Marcus:** Unum adhuc edam.

**Thylmannus:** Pernam ego petam cultro, experiárque ut sapiat.

**Benedictus:** Marce, quot ova una vice posses ingurgitare?

**Marcus:** Octo sine opera et labore.

**Ioannes:** Dura, an mollia?

**Marcus:** Adhuc fluida, non indurata.

**Ioannes:** At cuius generis vel farinæ?

**Marcus:** Gallinis parta.

**Ioannes:** Aestimabam ea quæ ad sepes iam sole torrentur.

**Marcus:** Illa tuo vultui essent apta.

**Thylmannus:** Tu in ovis edendis octo aliorum munere posses fungi.

**Iasperus:** Edendo ipse pensum meum belle persolvere vellem, si certatim comederemus.

**Paterfamilias:** Carnes iusculo elixas affer tu puer. Præbibo vobis hoc sacro Paschatis die.

**Famuli:** Conferat tibi bibenti.

**Paterfamilias:** Invicem vobis præbibite, lætósque animos poculis vobis facite.

**Gotfridus:** Ioannes amicitiæ et charitatis haustu te adoriar.

**Ioannes:** Accipiam abs te lubenter.

**Benedictus:** Hero nostro propino.

**Paterfamilias:** Bibe feliciter. Puer, assas carnes prome, his saturi sumus.

**Ioannes:** Benedicte, vitrum hoc tibi medium propino, verùm tu bibe quantum volueris.

**Benedictus:** Auspicatò bibas, tum et ipse potabo.

**Iasperus:** Thylmanne, à prandio tuas ædes invisemus omnes, vis nos ovis excipere?

**Thylmannus:** Ne Gry quidem largiar, tabernæ hospes non sum: si convivari vultis, diversoria accedite.

**Gotfridus:** Marcus nos medio agno, frustóque vitulinæ carnis exciperet, si suum domicilium adiremus.

**Marcus:** Ad Calendas Græcas.

**Benedictus:** Nihil immune nobis dares his sacris feriis?

**Marcus:** Nil nisi sellas et scamna vobis impertiar.

**Benedictus:** Istis tu stomachum ieiunum pascas.

**Paterfamilias:** Cibo utimini ut tollatur, appetit hora concionem sacram audiendi, qui assa carne delectatur, Chrysippum non agat. Puer, bellaria fac adsint, et hæc tollantur.

**Thylmannus:** Marce, haustum Paschalem tibi propino.

**Marcus:** Quid paschalem? vini haustum malo, eo corculum meum iuvo.

**Paterfamilias:** À cibo templa adite auditum sacram concionem, precésque vespertinas, et ad cœnam in tempore adsitis denuò, sacratissimæ hodie sunt feriæ.

**Gotfridus:** Nusquam ibimus nisi fortassis ad Marcum, degustatum de ovis suæ mensæ.

**Marcus:** Si veneritis, ante fores vobis manendum erit.

**Paterfamilias:** De his novis et Paschalibus obsoniis benedicimus Domino.

**Famuli:** Deo gratias.

**Paterfamilias:** Benedictus et gloriosus sit Dei filius, qui hodierna die à morte resurgens, ab æterna nos liberavit morte.

**Famuli:** Amen.

---

# Convivium Nundinarium, sive dedicationis Templi.

**Villicus**, **Uxor**, **Pistor**, **Textor**, **Calcearius** ex urbe cives & **Servus**.

**Villicus:** Cura uxor mea Elsa, ut sacrificio Missæ peracto, piper cæteráque obsonia sat cocta sint, fortè ex urbe nos amiculi nonnulli invisent.

**Uxor:** Enitar pro viribus, tu servum iube scopis verrere pavimentum horrei vel cubiculi, in quo convivæ sedebunt prandentes.

**Villicus:** Serve, cubiculum istud à pulveribus redde purissimum, parietibúsque adhærentes aranearum telas depone, ne quid sit, quod convivis nauseam inferat.

**Servus:** Curabo.

**Villicus:** Piperis habeas præcipuam curam, ne vel aduratur, néve insipidum fiat, nam ipsum in primis nundinarum tempore palatis advenarum placere solet.

**Uxor:** Quæ culinæ sunt munia, sine te exequar bellissimè, me coquere permitte, et tu cocta edas, satis adulta sum, non egeo in coquendo te instructore.

**Villicus:** Hîc adveniunt tres amiculi ex urbe.

**Uxor:** Qui sunt?

**Villicus:** Pistor noster socer, Calcearius affinis, et Textor cognatus nobis.

**Uxor:** Veniunt invicem?

**Villicus:** Etiam, et manibus confertis se, ut amicissimi ducunt.

**Uxor:** Subitò nunc tu serve mensam sterne, singuláque, quibus opus erit, impone.

**Servus:** In illo moram non faciam.

**Uxor:** Ipsa cum obsoniis properabo ocyssimè.

**Pistor:** Sis salvus ô Villice, quid geris?

**Villicus:** Salvi sitis et vos, gratulor vestro adventui.

**Pistor:** Ubi nundinæ sunt vel nundinarum gaudium, in templóne, vel ad focum?

**Villicus:** Spero quòd utrobique.

**Textor:** Præstat in coquina, quàm in templo nundinas esse, nam stomachis prodest magis.

**Villicus:** At plebeiarius noster mavult in æde sacra nundinas celebrari.

**Calcearius:** Unus ille homo est, cuius inexplebilis est loculus.

**Villicus:** Adsitis, limen transcendite, mox prandium instruetur.

**Pistor:** Ubi uxor latet?

**Villicus:** In culina ad focum, ad posticum, si opus est, mictum ite, iam piper percoctum erit.

**Textor:** Urina non premimur. Salve Elsa, ut vales, tu solicita Martha es.

**Uxor:** Grati advenistis, valeo bellissimè, sed sine pecunia: cubiculum intretis, iam obsonia mittam à foco.

**Villicus:** Ex aquali hoc manus mundate, tum mensæ assidete: loco Benedicite quisque orationem apud se dicat, hîc doctus non est.

**Pistor:** Cruce signemus, consecrabimúsque cibum nos ipsi, ubi eruditus defuerit.

**Villicus:** Piper hoc degustate, spero placebit.

**Textor:** Sapidum est oppidò.

**Calcearius:** Adveniat uxor tua.

**Villicus:** Illa, culinæ penso executo, adveniet. Edite alacriter, caro in pipere cocta, lepusculus est heri à me venatus.

**Pistor:** Licet tibi per Nobiles venari lepores?

**Villicus:** Nundinarum hoc tempore concedunt.

**Calcearius:** Ô Elsa, coquere nosti dapsilicè.

**Uxor:** Coquo more villico et agresti, ut rustici edunt dapsilicè.

**Pistor:** Sat optimus est apparatus et delicatus.

**Villicus:** Bibite de hac villana nostra cervisia, in urbe pretiosiorem haberetis.

**Textor:** Satis iucunda est sapore.

**Uxor:** Piper hoc lambite, tum intus denigrabimini.

**Pistor:** Multum ipsius edimus.

**Villicus:** Uxor tolle piper, et tostas affer carnes. Tu serve vinum cyathis infunde. Vinum hoc hîc in nostro Œnopolio venditur sedecim obolis.

**Pistor:** Vili ære vænit, dignum ut carius venderetur.

**Textor:** Præbibo tibi Villice.

**Villicus:** Prosit tibi. Agninam carnem ad veru paratam attingite, delicatiorem non habebitis. Omnibus præbibo, ut accepta sit vestra præsentia.

**Calcearius:** Bibe Dei nomine.

**Pistor:** Audio utricularium, choreas ludit, pergemus illic et nos.

**Uxor:** Prius oremus.

**Villicus:** Agimus gratias vero Christianorum Deo, ob omnia nobis præstita beneficia.

**Pistor:** Amen.

**Villicus:** Nunc abite ductum choreas.

---

# Convivium Campestre.

Campum viridem animi recreandi gratia recedunt, **Horatius** hospes, **Henricus**, **Volfgangus**, **Maxemilianus**, convivæ & **Matronæ** nonnullæ.

**Horatius:** Quam dulciter et iucundè nunc aura blanditur, undique locorum floridum est herbis et frondibus nascentibus.

**Henricus:** Omnia nunc virent, nunc formosissimus annus.

**Volfgangus:** Germinant nunc omnia, prata, agri, horti, et sylvæ.

**Maxemilianus:** Aviculæ aërem nunc perstrepunt dulci cantu: è nidis, quibus hyeme tota delituerunt, erumpunt.

**Horatius:** Egrediuntur et nunc homines agminatim in campum vel pomœrium, cibo et potu in viridibus locis se oblectantes.

**Henricus:** Exeamus et nos ad horas aliquot. quid usque insidemus fumosis et obscuris tectis? in apertum campum cum avibus repetemus.

**Volfgangus:** Rusticari nunc conveniret, si commeatum haberemus, quo nos, ut alii solent homines, exhilararemus.

**Horatius:** Ipse vobis impertiar pernam suillam et duas vini mensuras.

**Maxemilianus:** Tum deinde reliquum sumptum faciemus nos.

**Henricus:** Pari asse deponemus nos alii.

**Volfgangus:** Nymphas bellulas oportet et congredi, aliâs hilaritatis habebimus nihil.

**Horatius:** Uxorculæ nostræ et famulæ comites erunt nobis, quæ sub palliis cibatum ferent.

**Maxemilianus:** Non diu moremur, si quò ire volumus, properemus antequàm vespera appetat.

**Horatius:** Audi tu Uxor mea: sportulam obsonatoriam para, ac reple

perna hodie elixa, et vini aliquot prome mensuras, in pomœrium expatiatum ibimus.

**Uxor:** Dicto citius expediam.

**Horatius:** Nos præcedemus, tu cum culinæ ministra sequere, ad portam nos invenietis.

**Uxor:** Sat est, vos pedetentim præcedite.

**Horatius:** Eamus, ponè subibit coniunx.

**Henricus:** Quàm delectabile est iam deambulare, et repere sub frondibus et in viridi gramine!

**Volfgangus:** Est per Herculem.

**Maxemilianus:** At, quod pomœrium accedemus?

**Henricus:** Ubi minus hominum erit.

**Horatius:** Ibi conveniet, ne multos nostrorum gestuum habeamus spectatores.

**Volfgangus:** Possent et multi suspicari matronas, quæ aderunt, inhonestas esse, nobisque amicas meretricias.

**Maxemilianus:** Videbimus ubi maior erit solitudo.

**Henricus:** Hîc in Œnopolio aliquid vini et nostro nomine emamus.

**Volfgangus:** Ubi lagena est in qua feremus?

**Maxemilianus:** Ad fidem dabunt, vinum qui vendunt, mox rediturum et relaturum te dicas.

**Volfgangus:** Quantum feram?

**Henricus:** Quatuor mensuras mercare, tum inter nos exolvemus.

**Volfgangus:** ubi vos reperiam?

**Maxemilianus:** Ad portam te manebimus.

**Henricus:** En aliâs à longè subsequitur uxor mea famula comitante.

**Henricus:** Moremur eas, tum et vinum à nobis emptum afferetur.

**Horatius:** Sistemus gradus, perplacet mihi.

**Uxor:** Ut ita præcurritis, vix potuimus assequi.

**Horatius:** Lento tamen gradu ivimus.

**Maxemilianus:** Adest et nostri æris vinum.

**Horatius:** In gramen nunc decumbamus. Uxor, deprome quod attulisti dapis, tu famula vinum cyathis infunde.

**Volfgangus:** Ægrè in Œnopolio lagenam mutuò dabant mihi, quia ipsis ignotus eram.

**Horatius:** Edamus nunc et poculis nos oblectemus.

**Maxemilianus:** Ô quàm lepidum est et iucundum hoc in loco esse!

**Hospes:** Propino tibi uxor.

**Uxor:** Bibe bonis avibus.

**Henricus:** Præbibo tibi.

**Maxemilianus:** Sit commodo.

**Horatius:** Pernam degustate, tum bibere delectabit vos.

**Volfgangus:** Adhuc à prandii cibo saturi sumus.

**Horatius:** Edere si non libet, alacrius bibite.

**Maxemilianus:** Sitienti propino.

**Henricus:** Ille ego ipse sum, tibi pari haustu respondebo.

**Volfgangus:** Puella illa et potu et cibo abstinet.

**Uxor:** Puellarum non est bibere, sed summis labris data pocula lambere et pitissare.

**Horatius:** Hesperus instat, redeundum est domum.

**Maxemilianus:** Quando lubet, in nobis mora non erit.

**Horatius:** Exurgite, hinc abeamus.

**Henricus:** Celeres congrediemur.

---

# Convivium Satyricum, sine invectivum.

**Iuvenalis** hospes, **Bartoldus**, **Georgius**, **Antonius**, **Martinus**, convivæ & **Servus**.

**Iuvenalis:** Salvi sitis literarum cultores fervidi.

**Bartoldus:** Talis sis et tu Poëta eloquentissime.

**Iuvenalis:** Quid invicem negotii geritis.

**Georgius:** Equidem otium non negotium agimus.

**Iuvenalis:** Nihil literarii tractatis?

**Bartoldus:** Commentamur mutuò nescio quæ.

**Iuvenalis:** Non vos premit æstus, umbras petite aut tecta, non parùm incommodat rabies illa canicularis stellæ, quam nunc sol incolit.

**Antonius:** Domibus sat per hyemem morati sumus.

**Iuvenalis:** Has meas ædes et tecta subite, potu vos excipiam.

**Martinus:** Sumptui isti parcas, non sitimus oppidò.

**Iuvenalis:** Obsequimini, subitóque adsitis, nugabimur mutuò, ipse canus adolescentibus literis deditis delector, ut nihil suprà.

**Georgius:** Frontem perfricabimus, et tua subibimus tecta.

**Iuvenalis:** Accedite audientibus animis, meúmque non fugite senium, ipse et olim adolescens fui.

**Bartoldus:** Canos tuos non fugimus, sed formidamus ignoti et pueri, tibi in literis emerito militi convivere.

**Iuvenalis:** Serve, i promptum cervisiæ pocula aliquot et vini.

**Servus:** Celerrimè curabo.

**Iuvenalis:** Potus æstus tempore in pretio est, magníque æstimatur, ubi calore arent labella.

**Servus:** Hic potus prosit bibentibus.

**Iuvenalis:** Adolescentibus vobis literarum cupidi præbibo.

**Convivæ:** Salutem precamur, ut potas?

**Iuvenalis:** Quisque vestrum labia potu madida faciat, deinde edite, nunc potus acceptior est cibo, sed utro plus delectamini, eo utimini.

**Convivæ:** Utroque iuxtà gaudemus.

**Iuvenalis:** Sitim postquàm sedaveritis, literarii aliquid nugabimur invicem.

**Convivæ:** De literis loqui nostras ingeniorum excedit vires, ipsas primoribus labiis vix degustavimus.

**Iuvenalis:** Intelligo non usque adeò ipsarum rudes vos esse, ut dissimulatis.

**Georgius:** Per Apollinem et Palladem expertes sumus ipsarum.

**Iuvenalis:** Ideo me capulari sene nunc ut duce utimini, respondetéque quæ quæram.

**Bartoldus:** Respondebimus ad nota, ad ignota obticebimus.

**Iuvenalis:** Festis diebus quid Gentilibus olim erat negotii à meridie, sacris Deorum peractis?

**Georgius:** Per tenebras scio, et Andabatarum more, à præceptore quondam me audivisse recordor, quòd in agris, in viarum compitis conveniebant, ibidémque mutuis verbis in se per vices invehebant in curribus stantes.

**Iuvenalis:** Verè dicis, quisque alteri sua, si quæ habuit, scelera obiecit et aperuit.

**Antonius:** Non ægrè ferebat qui convitiabatur?

**Iuvenalis:** Vitiatus rursus in suum convitiatorem dicebat, ut canis morsu petitus remordere solet.

**Georgius:** Spectaculum, me Hercule, iucundum fuit visu et auditu.

**Iuvenalis:** Sic et vos adolescentuli exercere ingenia deberetis, ut unus alium nunc laudaret, nunc verò increpando læderet.

**Bartoldus:** Amicitia mox tum rumperetur.

**Iuvenalis:** Prædicendum esset, ut quisque alterius boni consuleret verba.

**Georgius:** Quid si experimur, an unus alterum suis posset coloribus

depingere?

**Iuvenalis:** Istud efflagito sedulò, unus auspicium sumat.

**Georgius:** Cuculi progeniei te esse credo, per Herculem, pusillus nanque corpore es, sed voce magna, et virili, canis instar bovis, itaque miror quomodo in tam parvo corpusculo tuo, tanta vis spiritus resideat.

**Bartoldus:** Tu unus eorum qui manticam à tergo non vident, aliena non sua cernunt vitia, sic tu me pusillum corpore arguis, cum tu quolibet pygmeo minor sis, gressu tamen superbo, rubea tunica, tiara pretiosa incedens, alium et Herculem te putas, ac nuper Hannibalem te esse afferebas, cùm ne musculum effugare posses.

**Antonius:** En tu Martine ades? vocaris tu Martinus? ubi equus tuus, cui nuper infidebas? quis tu es? ambulas nunc pedibus? ab equo non ad asinum, sed terram transcendisti.

**Martinus:** Tu nasute, ridere sine, tu trium terunciorum homo, tu pomilio, tu lerna malorum, tu morionum hospes, stultitiǽque domicilium.

**Iuvenalis:** Abundè ingenia ostendistis, nunc bibite, tum demum regrediemini domum.

**Martinus:** Abibimus, tu gratiam habe.

---

# Convivium Laudatorium.

**Demosthenes** hospes, **Gerardus**, **Theodoricus**, **Kilianus**, **Vilhelmus**, convivæ.

**Demosthenes:** Convivas vos volo à meridie.

**Theodoricus:** À meridie? cur non prandii hora?

**Demosthenes:** Lauta mihi non est culina, sed macra, plenáque aranearum telis, non pinguibus suum pernis.

**Gerardus:** Per superos, bellus homo es, vocare vis convivas saturos, non famelicos, facillimum tum est sine impendio convivatorem esse.

**Demosthenes:** Convivium apparabo merendinarium, quod à meridie loco cibi merendinarii agitur inter homines.

**Kilianus:** Ecquid nobis immune dabis?

**Demosthenes:** Satis cervisiæ et edulii nonnihil, quo bibendi excitetur cupiditas.

**Vilhelmus:** Ad quam veniemus horam?

**Demosthenes:** Circiter primam, neque diutius moramini.

**Theodoricus:** Aderimus in ipso sono primæ horæ.

**Demosthenes:** Rogo in tempore huc pedes ferte, agemus palæstram quandam literariam.

**Kilianus:** Post sublatum prandium huc feremus pedes.

**Demosthenes:** Postremum occupabit scabies.

**Gerardus:** Ratum sit quod loqueris, postremus qui venerit, malo afficietur, domum iam pransuri ibimus.

**Demosthenes:** Discedite, propediem huc remigrate.

**Vilhelmus:** Salve Demosthenes orator eloquentissime, hic advenimus omnes, quid nunc nostra tibi conferet præsentia?

**Demosthenes:** In amœnissimo horto meo apud domus posticum situm,

sub arboribus compotabimus, et unà nugabimur.

**Kilianus:** In nobis mora non erit.

**Demosthenes:** Serve, ad hortum fer potum, cervisiam scilicet pretiosiorem, et bolum unum aut alterum carnis.

**Servus:** Præstabo effectum.

**Demosthenes:** Me comitamini in horti amœnitatem.

**Gerardus:** Paribus sequemur passibus.

**Demosthenes:** Hortulum hunc in deliciis meis habeo, éstque unicum delectamentum meum.

**Vilhelmus:** Est iucundissimus locus.

**Demosthenes:** Sub hanc arborem sedebimus quiescentes, et de hoc potu exigui valoris sitim curabimus, præbibo cuilibet vestrûm calicem hunc.

**Kilianus:** Salutem tibi ferat bibenti.

**Demosthenes:** Congarriemus postquàm quisque calicem istum ebiberit.

**Gerardus:** Bibamus nunc ordine omnes, quid iam tibi placet?

**Demosthenes:** Exercitiíne aliquid in dies habetis, quo studium vestrum corroboretur, magísque grandescat in vobis profectus scientiæ?

**Vilhelmus:** Nil nisi epistolas scribimus.

**Demosthenes:** Exercitatio quædam est, qua nihil est iuveni utilius.

**Gerardus:** Quæ est illa?

**Demosthenes:** Quòd ætate sibi parem vel peritia puerum modò vituperet, modò laudet.

**Kilianus:** Eam artem vituperandi vel laudandi, ubi disceremus?

**Demosthenes:** In Rhetorica, quam vestra indoles non sufficit capere, vel uti ipsa: sed alium laudare vel vituperare ingenii exercendi gratia, ante artem cognitam, etiam et laudis et honoris est.

**Vilhelmus:** Laudaturus alium, auspicium unde sumat?

**Demosthenes:** À corpore, à genere vel progenie, à fortunæ dotibus, et scientia, probitate, vel moribus. Edite buccellas aliquot, et bibite: tum vicissim vos laudabitis.

**Bar[toldus]:** Ipse glaciem secabo. Bellus tu homo es Theodorice, candidis capillis, modesto vultu, gressu testudineo, facie alba, ingenio fœcundo, parentibúsque opulentis.

**Theodoricus:** Te me fricantem refricabo: quod mihi das laudis, omne id tibi competit. Pulcher es adolescens, flava coma, honesto aspectu, gradu egregio, Minerva fertili, et maioribus divitibus prognatus.

**Ant[onius]:** Ô Vilhelme, audi à me tui præconium. Parentibus percepi te ortum præclaris, scióque non sterili esse indole statura non deformi, scientia non contemnenda, assiduúsque es librorum lector.

**Vilhelmus:** Et tu albæ gallinæ es filius, neque infelici ingenio, corporis habitu decoro, ut nihil suprà.

**Demosthenes:** In laudando alium semper illud Plinii in mente habete: “Hoc ipsum esse amantis, non nimiùm laudare”.

---

# Convivium Declamatorium.

**Pædagogus** hospes, **Ioannes**, **Hermannus**, **Albertus**, **Iacobus**, convivæ, **servus**.

**Pædagogus:** Hodie dies est, quo à lectionibus feriari receptum est.

**Ioannes:** Nescimus, quid deinde?

**Pædagogus:** Scitis etiam quid sit otiari à lectionibus gymnasii? vel quid sit agendum, dum à scholæ negotiis est libertas?

**Hermannus:** Tum ludendum est in campo, pila vel globo per anulum ferreum, vel cursu, vel palæstra dimicatoria, aut colluctando.

**Pædagogus:** Scopum nondum tetigisti, toto aberras cœlo.

**Ioannes:** Eo modo tamen feriæ literariæ à nobis hactenus nostrísque maioribus dum literas didicerunt peractæ sunt.

**Pædagogus:** Istud nihil aliud est, quàm vacatione à gymnasio abuti: à prandio huc me accedite, erudiam vos ad horulam unam, quid sit vacare à librorum lectionibus, et quomodo ferias scholasticas commodè collocare poteritis.

**Albertus:** Adveniemus prandii peracta fabula.

**Pædagogus:** Hîc vos operiar, in tempore facite adsitis.

**Ioannes:** Certè revertemur propediem.

**Pædagogus:** Magnæ fidei adolescentes vos nunc video, quòd promissos adventus re exequimini, assidete, nonnihil potus afferri faciam, quo linguas irrigemus, promptius ut loquamur.

**Hermannus:** Nostri gratia ne assis impendium facias.

**Pædagogus:** Serve, aliquid vini prome et affer.

**Servus:** Expediam quàm rectissimè.

**Pædagogus:** Cupitis nunc audire quid sit otiari à lectionibus gymnasii?

**Ioannes:** Anhelamus cupidè.

**Pædagogus:** Post haustum hunc factum eloquar. Hoc poculo vestros adventus excipio.

**Hermannus:** Gratiam habemus.

**Pædagogus:** Bibat et quisque vestrum. Nunc quæ pollicitus sum præstabo. À schola quotiescunque feriabimini, hoc exercitii habeatis.

**Ioannes:** Quod genus?

**Pædagogus:** Audita ruminetis, et breviusculam orationem quandam concinnate, in rei vel personæ cuiuspiam laudem vel vituperium, quod declamitare olim nocitabant.

**Ioannes:** Nescimus qua arte declamationes conficiemus.

**Pædagogus:** Rudem et impolitam orationem connectite, quoad artem didiceritis. Unicam à me accipite declamationem in literarum laudem. Literæ, id est scientiæ, nobilissimæ sunt, neque unquàm satis laudatæ, neque laudari, ut dignæ sunt, à quoquam possunt, multum nanque boni et frugis afferunt: per ipsas posteritati gesta indicantur temporum peractorum: per ipsas virtutes, felicitas, magistratus, honores, laudes dantur et accumulantur facilius quàm per opes: ipsæ semel adeptæ, nunquam, neque in vita, neque post funera decorare aut ornare cessant habentem. Dixi.

**Ioannes:** Periculum et ipse faciam, commendaturus virtutes.

**Pædagogus:** Age, facito, ingenio utere tuo felicissimo.

**Ioannes:** Virtus res est ardua maximè, difficilísque acquisitu, tandem adepta, felicissimum reddit, omnia quibus egemus præstat, nam illi nihil deesse dixerunt scriptores, quem penes esset virtus: virtus omnia in se habet, virtus ad sydera vehit, vitium ad ima tartara mittit. Dixi.

**Pædagogus:** Bibite nunc omnes ordine, quisque calicem exiccet.

**Hermannus:** In arenam et ego descendam, prudentiæ præconium dicturus. Prudentia virtutum omnium nobilissima, in cognitione rerum consistit, qua cognitione nihil est homini honestius, scire laudabile, nescire vitiosissimum est: vir

prudens, rerum peritus, uno minor est Iove, inquit Poëta: ignorans à caudice differt nihil. Dixi.

**Pædagogus:** Calicem quem meritus es bibe, cæterísque præbibe.

**Albertus:** Palæstram ineam ego liberalitatis encomium prolaturus. Liberalitas ea virtus est, quæ humanum, pium, et benignum esse docet hominem, dátque ubi dandum est, servat ubi tenendum est, sua non prodigere, neque tenax esse, ut Euclio Plautinus. Dixi.

**Pædagogus:** Bibe poculum quod meritus es, et aliis propina. Sic vestra otia transigite, tum in eruditos evadetis viros.

**Ioannes:** Curabimus, tu vale et gratiam habe.

---

# Convivium Reconciliatorium.

**Hospes**, **Arnoldus**, **Henricus**, inimici invicem, **Iasperus**, **Crato** reconciliatores.

**Hospes:** Ut sic rixamini invicem canum more, nihil vos pudet?

**Henricus:** Iste malorum lerna, suis semper verbis me insectatur malis, nequeo ipsi obvius fieri, vel adesse, quin aliqua iniuria me prosequatur.

**Arnoldus:** Tu metuis dictis semper laceras, rodísque ac ossa caniculi, prædico tibi, ut mordere et deferre apud alios me cesses, aut clavum clavo trudam, quod senties cum magno tuo malo.

**Henricus:** Ah, tu pygmæo minor, quid narras? Ientaculi vice quod est esurienti, id tu mihi esses si ad pugnos ventum fuerit.

**Arnoldus:** Sim pomilio quantumvis pusillus, tamen à te, ut inter simias asinus tractari nolo, neque pessundari.

**Crato:** Huiusmodi silete verba, istas lites componite, longè præstat pax et concordia, quàm simultas et discordia.

**Henricus:** Tranquillus et quietus esse vellem, nihílque secum aut convictus aut commercii habere, sed liber ab ipso fieri nequeo, insequitur me passim ut umbra corpus, succulique scropham.

**Arnoldus:** Tuo consortio gaudebo facillimè.

**Hospes:** Taceat uterque, scio quid faciemus, quo vos reconciliatos reddemus.

**Henricus:** Quid? exprime.

**Hospes:** Compotatiunculam ad cervisiæ pocula agemus, tum inter potandum vestris animis discutiemus rancorem illum mutuum.

**Henricus:** Lubet mihi: diversorium istud cervisiarum intremus, sequimini vos belli helluones poculorum.

**Hospes:** Domi nostræ in umbra sedebimus tranquillius, securius et iucundius.

**Crato:** Præstat suis interesse penatibus, quàm alienis.

**Henricus:** Potus feratur abundè, tum calculum et rationem impendii faciemus.

**Iasperus:** Adsint et potiora pocula.

**Hospes:** Afferentur modò.

**Iasperus:** Prospera sit cervisia bibentibus.

**Hospes:** Et tibi afferenti.

**Crato:** Vos duo hactenus invidiosi invicem et mutuò poculum exhaurite in felicem vestræ concordiæ eventum.

**Henricus:** Bibam, ubi siti laboravero.

**Crato:** Arnolde tibi propino.

**Arnoldus:** Commodè et fortunate bibas.

**Iasperus:** Vinum biberemus, id convenit reconciliationi.

**Henricus:** Duæ mensuræ vini ferantur, alteram ipse exolvam.

**Arnoldus:** Alterius sumptum ipse dabo.

**Hospes:** Ilatum vinum, ego calices vitreos eluam.

**Iasperus:** Hîc vinum affero, sit felix fortunatúmque de ipso potitantibus.

**Crato:** Nunc animi prius mutua invidia turgescentes immutabuntur.

**Hospes:** Heus tu Henrice, ut ita obstipo sedes capite? hanc vini pateram propino tibi integram.

**Henricus:** Accipiam lubens, postquàm ad fundum fuerit exhausta.

**Hospes:** Vidén’? exorpsi.

**Henricus:** Video, mihi nunc repleas ipsam.

**Hospes:** Faciam, en tibi, ipsam funditus imbibas.

**Henricus:** Istud levissimum mihi factum erit.

**Iasperus:** Arnolde ut siles? fac à te haustum propinatum accipiam.

**Arnoldus:** Hoc poculum vini tibi præbibo.

**Iasperus:** Faustum sit tibi opto.

**Arnoldus:** Bibendo fac respondeas.

**Iasperus:** Faciam actutum.

**Hospes:** Fervent adhuc animi vestri odio mutuo?

**Henricus:** Nequaquàm.

**Hospes:** Utrique calicem vini præbibam, quo discordiam in concordiam mutetis.

**Henricus:** Fiet, tu bibe.

**Hospes:** Evacuavi, nunc partite inter vos, calicem illum medium quisque epotet.

**Henricus:** Arnolde medium tibi propino.

**Arnoldus:** Sit felix faustúmque.

**Henricus:** Medium bibi, nunc tu ad fundum epota.

**Arnoldus:** Faciam, vidén'?

**Crato:** Consertis manibus, nunc discordiam devovete, concordésque vos victuros promittite, placet istud utrique?

**Hospes:** Arridet mihi.

**Arnoldus:** Et mihi displicet minimè.

**Crato:** Ista sancita est reconciliatio.

**Henricus:** Miror quî fiat quòd ad vini calices homines in mutuam redire gratiam solent.

**Crato:** Deus vini habetur Bacchus ipse, qui aliquando dicitur Lyæus, à lyo, id est, solvo, quia vinum tristitiam et invidiam solvit.

---

# Convivium Histrionum, sive Parasiticum.

**Nero** hospes, **Buttubata**, **Gnato**, **Curculio**.

**Nero:** Unde proditis vos rudes, tremuli, pannosi, alacrésque animis histriones?

**Buttubata:** È foro.

**Nero:** Quid ibi quæstus estis adepti?

**Buttubata:** Lucri prorsus nihil, homines nunc sapiunt Solones, tertiúmque Catonem præ se ferunt.

**Nero:** Non plus vestris capiuntur gesticulationibus?

**Gnato:** Afferunt morionum se sat domi habere, seipsos utcunque histrionicè gestus exhibere.

**Nero:** Vertuntur nunc omnia, ut quæ prius in deliciis sunt habita, nunc iaceant, et nihil ducantur.

**Curculio:** Timemus quòd esuriendo ad restim nobis res veniet: quum victum solitum denegabunt homines.

**Nero:** Animos non despondete, ipse solus vos tres integri anni curriculo adhuc pascam, ab aliis destituti si fueritis.

**Buttubata:** Grati erimus domino regi nostro unico præsidio.

**Nero:** Estis famelici? libétne cibum ingurgitare?

**Gnato:** Per Herculem, pérque omnes Deos patellarios esurimus acerbissimè.

**Nero:** Pingue hîc sumen, pinguiáque exta edite, devorate, igne et vino calidos vos facite.

**Buttubata:** Ô nostrum præsidium et unicum asylum, tu ille nobis es Iupiter, id est, iuvans pater: ille nobis es Deus tutelaris, tutaris nos à sæva stomachi tyrannide, scilicet fame.

**Nero:** Deus vester ero adiutor et alumnus, si ea quæ interrogavero mihi responderitis.

**Gnato:** Ad verba quæcunque volueris, dicemus nobis comperta.

**Nero:** Quis populi de me sit sermo, verè audire delector: verum mihi dicite, de me quæ fertur vulgo sententia?

**Buttubata:** Passim ad astra referunt, pium benignum, æquum, prudentem, divitem, potentem, omniúmque horarum hominem te esse dicunt, et qui possit æqua discernere lance, quid distent æra lupinis.

**Nero:** Ô lepidi histriones, ob id nuntium tritis vos donabo lacernis, calidóque sumine.

**Gnato:** Quæ diximus, ex oraculo sumus locuti, ita nos patellarii iuvent Dii nostri.

**Nero:** Vos semper iure feci plurimi, vestrum genus semper credidi mundo utilissimum, hominibúsque divinitus datum esse.

**Buttubata:** Non facile quis dixerit laudem et encomium nostri albi. Nos hominum sumus solamina, nos solatia, mœstorum consolatores, veri assertores: sine nobis, vino mulieribus, hilares esse nequeunt mortales, imò vos etiam nostris solis facetiis alacres facimus: natura nobis semper est læta, semper æquè serena, non nubila mens, ut cæteris hominibus mœrorem sæpe advehens.

**Nero:** Sed agite, quem vos me facitis?

**Gnato:** Imò longè maiorem, nos te ad astra ferimus, te Deum facimus, et si quid est Deo maius: multus est nobis in ore Rex Nero, Rex liberalissimus.

**Nero:** Verbis istis semper apud me commeatum, dapsilésque lances, tritásque lacernas in promptu reperietis semper.

**Buttubata:** Gratia sit domino Regi de præsentibus patinis, futura dum accipiemus, etiam pares gratias habebimus.

**Nero:** At quales in plebeiorum penatibus vos geritis?

**Buttubata:** In ædes admissi, culinas patinásque lautas petimus, illas exedimus, lingimus, lambimus, rodimus. Damnosi sumus patinis et culinis, nudamus homines argento, dapibus et esca.

**Nero:** Pocula non efflagitatis?

**Gnato:** Hirundines sumus poculorum, bibere non desinimus, quoad guttula restat. Nos Vulcani sumus filii, quicquid tangimus, comburimus et consumimus.

**Nero:** Approbátne vulgus album vestrum?

**Curculio:** Nobis calculum adiicit album, dicens oportere versutum esse ac rota est figularis, nullúmque hominem esse frugi, quin bene et malè facere sciat ut nos.

**Nero:** Nunquàm ad verbera vobis res venit?

**Buttubata:** Creberrimè ulmeis pigmentis nobis pellis pungitur, verùm ad pugnos induratam cutem habemus.

**Nero:** Pelles vestras istis meis poculis iam farcite et patinis, tum minus ferire ipsum dolebit vobis.

---

# Convivium Nugatorium.

Salibus & nugis recensendis certant **Hospes**, **Poëta**, **Somniator**, convivæ, **Servus**, **Nugo**.

**Hospes:** Bovem mactavi domi, ad intestina comedenda rogo sitis mihi convivæ vos quinque.

**Nugo:** Plures nostrum sunt, gratiam habe in aliam vicem.

**Hospes:** Plus carnis et intestinorum mihi est, quàm vos devorare poteritis.

**Poëta:** Attamen incommodum est tantus convivarum cœtus.

**Hospes:** Minimè gentium, rancida mihi fient boum intestina sine convivis, solus sum cum solo famulo, omnia nequimus devorare, nam vultures non sumus.

**Somniator:** Tum fac pateant ædes, intrabimus tecum visuri, quò nos excipere velis.

**Hospes:** Felicibus avibus limen transcendite. Gratulor vobis felices adventus in domicilio meo.

**Nugo:** Felix sit et tibi accommoda hæc habitatio.

**Hospes:** Serve, promptuarium resera, carnésque tostas deprome, cervisiam præbe et calices quæque convivio apta conveniunt, ministra.

**Servus:** Claves promptuarii præbe, occlusum est.

**Hospes:** Velox redi.

**Nugo:** Festinare tantopere haud opus est, expectabimus facillimè, fame non premimur.

**Hospes:** Quid tum? aliquem tamen in stomacho habebitis locum bolis aliquot. Tu serve, unum aut alterum intestinorum veru ad prunas torreas.

**Servus:** Exequar.

**Hospes:** Vos interim de his carnibus sumite.

**Nugo:** Fiet.

**Hospes:** Ipse exemplo vobis ero prius in quadram buccellam decerpendo.

**Poëta:** Age, tum fenestram edendi et nobis aperies, ut hospitis est munus.

**Hospes:** Vinum hoc pitissate, palatis sapiet.

**Somniator:** Propino tibi.

**Hospes:** Bibas prosperè.

**Somniator:** Certè nobile est, et cum quolibet alio sapore certaret.

**Hospes:** Tale est, ut ad egenorum mensam bibitur.

**Somniator:** Et acre et suave est.

**Hospes:** Exta illa calida, dum fervent edite, frigida insipida fiunt.

**Poëta:** Ipsis non parcè utemur.

**Hospes:** Ut ita silentes et taciti estis? quid in corde voluitis? an curam prolium educandarum?

**Nugo:** Non, istarum solicitudinem matribus et uxoribus relinquimus.

**Hospes:** Sumite animos hilares, bibendo, quis nobis scomma aliquod recensebit, quo ridebimus? tu istud facito. Nugo vocaris, fac et nugeris nobis nonnihil.

**Nugo:** Scommatum vel facetiarum expers sum, attamen quod scio dicam. Mulieres vetulæ in templo orantes, clunibus attrahunt pedes, scitis qua gratia?

**Hospes:** Ignoramus, tu dicito.

**Nugo:** Ideò, ut si quid per posticum venti emiserint, non perdant sine fruge, sed ipso pedes calefaciant, ut Plautinus ille Euclio nocte follem ori adstringebat, in quem anhelitum mitteret, et mane ignem cum ipso excitaret.

**Somniator:** Audite et me: Somnium hac nocte habui, multum me invenisse auri et argenti, lepidǽque nymphæ adiacere me amplexanti, at expergiscens sensi felem mihi adesse lingens maxillas meas, nam madebant ex hesterna crapula.

**Hospes:** Tu poëta poëticas facetias nobis narra, tum omne impendium huius convivii immune habebitis.

**Poëta:** Aures arrigite, versus audietis lepidos in hora poëtica natos, undecim scilicet hos.

Dum vina bibo, tristari non bene quibo.
In haustu primo, lætor sub pectoris imo.
In cordis fundo, lætor dum bibo secundò.
Post ternum potum, vinum mox fit mihi notum.
Et potus quartus lætum reddit atque facetum.
Et potus quintus, lætam mentem facit intus.
Dum bibo bis ter, sum qualibet arte magister.
Potu septeno, frons efficitur sine freno.
Potus bis quartus, mihi sensus tollit et artus.
Sed si plus bibam, kannen, pot, omnia frangam.
Ut corpus redimam, rock, hemmet, omnia vendam.

**Hospes:** Ridiculi per Herculem sunt, et poculis apti versus.

**Poëta:** Ipsos boni consulite, qualis sum poëta, tales et dico versus.

**Hospes:** Immunes vos omnes iam hîc à symbolo fecistis.

**Poëta:** Gratiam referemus olim.

---

# Convivium Tabernarium, ubi certo asse et numis præsentibus convivatur et solvitur.

**Tabernarius**, **Iasperus**, **Henricus**, **Maxemilianus**, **Volfgangus**, **Arnoldus** viatores.

**Iasperus:** Ho, ho, nemón' huc prodit? vacant hæ ædes?

**Tabernarius:** Quis fores pulsitat, clamandóque domum personat?

**Iasperus:** Salve hospes Tabernarie.

**Tabernarius:** Et tu.

**Iasperus:** Ecquid lauti habes opsonii? dapsilicéne instruxisti focum? nostrûm hîc sex peregrè profecti adsunt, ex itinere fessi, et esurientes, cibíque et potus cupidissimi.

**Tabernarius:** Satis reconditum cibi habeo, si vobis æs exolvendi suppetit.

**Henricus:** Bonorum datum habemus, pecuniásque Crœsi, et Crassi æquamus opulentia.

**Tabernarius:** Isti assidete mensæ, fercula iam afferri faciam, quiescite interim.

**Maxemilianus:** Faciemus, ac tu festina, acerrima nobis fames est, qualem ab incunabulis habuimus nunquàm.

**Tabernarius:** Morbo isti medebor pulcherrimè: de ista perna voragines ventris facite, mox lautiores patinas afferam, sed cibum consecrate prius.

**Volfgangus:** Benedicite.

**Henricus:** Dominus.

**Volfgangus:** Christus Dei filius, salutis humanæ autor et conservator, tabernarium hoc prandium nobis benedictum reddat.

**Henricus:** Amen.

**Volfgangus:** Nunc edamus, ipse morari nequeo.

**Iasperus:** Ede, non morabimur, quin et nos cibum sumimus.

**Arnoldus:** Dura est et admodum falsa caro ista.

**Maxemilianus:** Potu salsedinem pelle.

**Arnoldus:** Cantharum medium ebibam.

**Volfgangus:** Tum ad fundum ipse exiccabo.

**Ger[ardus]:** Heus, heus, hospes, cervisiæ plus prome, hæc epota est.

**Tabernarius:** Abundè cervisiam afferam, placétne et vinum?

**Maxemilianus:** Utique quanto pretiosius fuerit, tanto ipso plus delectabimur.

**Tabernarius:** Hîc vinum affero nectareum, nectari cœlestium Deorum ne latum unguem cedens, eo hilares vos reddite.

**Iasperus:** Faciemus: alia obsonia præbe, assi si quid habes, elixis non oblectamur.

**Tabernarius:** Sunt mihi capi duo illaridati, et anser in veru, adhuc calidi, de ipsis quid afferam? dicite, utrum ansere, an capis palata plus gaudeant vestra.

**Iasperus:** Anserem feras, capos tibi serves.

**Tabernarius:** Accipite eum pinguem, et adipe multa, acsi tener vitulus esset.

**Henricus:** Ho, ho, sodales optimi, lassitudinem itinere longo adeptam nunc curate, incidimus in cœlum.

**Maxemilianus:** Præbibo tibi, guttur mihi constringit anserina ista caro.

**Iasperus:** Ex postico anseris edas.

**Volfgangus:** Oleto ipsius iam capior magis, quàm si viveret.

**Tabernarius:** Ô vos convivæ, ut nunc stomachis valetis, éstne factum melius?

**Maxemilianus:** Longè præstantius intestina. nunc vigent, quàm dum adveniebamus.

**Iasperus:** Hospes propino tibi.

**Tabernarius:** Prosit, bibere nondum cupio, impransus sum. Bibite vos basilicè, ipse impendiorum immemor non ero.

**Geor[gius]:** Et nos tuorum obsoniorum non obliviscemur.

**Tabernarius:** Istud decet ad mensam, hîc caseum accipite, qui advenarum huc solet esse terror.

**Maxemilianus:** Nos perterrescet minimè, sat æris habemus, unde symbolum pendamus.

**Tabernarius:** Edite de ipso vel butyro quantum lubet.

**Iasperus:** Tolle mensam hospes, sat edimus, hinc abeundum est.

**Tabernarius:** Non abeundum, sed solvendum, quisque vestrum tribus albis symbolum solvet.

**Volfgangus:** Hui, tantum? vix cibus valuit tantum.

**Tabernarius:** Vini bibistis multum.

**Maxemilianus:** Ô vos sodales optimi, hinc quomodo evademus, quo pendemus symbolum?

**Iasperus:** Hospes, æs in numerato non habemus, nostra chirographa tibi dabimus, mox exoluturi, et è patria æs missuri.

**Tabernarius:** Chirographa non accipio, nam literarum expers sum, sed vel pecuniam vel exuvias.

**Henricus:** Nunc versuum quorundam recordor: Est bona vox, hol, wein, melior schenk ein, aptima trinck auß. Est mala vox, rechen, peior bezalem, pessima den rock auß.

**Tabernarius:** Sit pessimum vel optimum, aut solvite, aut vestes exuite.

**Iasperus:** Accipe has vestes, ad vesperam, vel summum cras repignerabimus et redimemus.

---

# Convivium Natale.

**Macrinus** natalem diem celebrans, **Persius**, **Castor**, **Pollux**, **Coquus**, convivæ, **Servus**.

**Macrinus:** Io, io, ô festivissimum diem, ô candidissimum solem hodiernum, feliciorem integer annus habet nullum.

**Persius:** Unde tantum hodierni diei encomium profers?

**Macrinus:** Ignorabas hodie mihi esse diem natalem?

**Persius:** Per Herculem non cogitabam, non tum natalitio tuo die nos tuos amicos epulis et mensa excipis?

**Macrinus:** Utique adsitis meo prandio omnes quatuor, meum diem genialem mecum celebretis.

**Castor:** At quantum impendii faciet quisque?

**Macrinus:** Sumptus nihil impendetis, ipse feram omnia mea crumena.

**Pollux:** Age, perplacet, condicimus, non opus est nobis scindere penulam.

**Castor:** Ubi convivæ vocamur, sumus facillimi: ubi ad erogandam pecuniam, surdi, et auribus mortui.

**Macrinus:** At natalitiis muneribus me ut donetis oportet.

**Persius:** Ipsa mittemus lubentissimė.

**Macrinus:** Coque, súntne edulia percocta?

**Coquus:** Quando lubet accubitum ite.

**Macrinus:** Serve, éstne mensa decorata, quibus solet ornari?

**Servus:** Est, et diutissimè.

**Macrinus:** Lavetis mei convivæ, et discumbite.

**Castor:** Prior discumbere tuum est ut hospitis.

**Macrinus:** Benedicite.

**Persius:** Dominus.

**Macrinus:** Cunctipotens Deus, cœli et terræ Dominus, bonorum omnium autor, creator, salvator humanæ creaturæ, hoc natali convivio cibum et potum nobis pransuris salubria facere velit.

**Persius:** Amen.

**Macrinus:** Nunc epulis negotium sumite et poculis.

**Pollux:** Otium non agemus.

**Macrinus:** Salsuginosam illam carnem vel porcinam gustate.

**Castor:** Fiet.

**Macrinus:** Serve, ad cyathos sta, vidéque ne siccitate hient.

**Servus:** Curabo.

**Macrinus:** Iurulentas fer carnes, his siccis non est delicium magnum, quadras alias porrige.

**Servus:** Exequi volo.

**Macrinus:** Carnibus istis iurulentis fruimini, quoad assæ afferentur.

**Persius:** Facile est contentum esse patina tali, poculisque lepidis.

**Macrinus:** Genio indulgete, Epicuríque vivite.

**Persius:** Propino tibi in felix auspicium sequentis anni.

**Macrinus:** Hodie alium auspicor annum meæ ætatis.

**Persius:** Tibi nunc est exordium anni, ut omnibus mortalibus ipso Circuncisionis die.

**Macrinus:** Assæ carnes fac adsint famule.

**Servus:** Efficiam celerrimè.

**Macrinus:** Orbes tolle, aliósque propone.

**Castor:** Omen felix tibi hoc poculo opto, ô Macrine.

**Macrinus:** Et tibi ipsum non sit infelix.

**Pollux:** Age, bibendo mihi par referas.

**Macrinus:** Non differam: omnibus vobis ad has tostas carnes præbibo, in gratiam, quòd hoc natali meo die me invisistis.

**Castor:** Lubentes fecimus, maiora velimus, si inservire tibi poterimus.

**Macrinus:** Decerpite assum, ipsum propositum est ut edatur, non ut rursus in culinam deferatur.

**Pollux:** Strenuè nostrum agimus munus.

**Persius:** Ô Macrine, hilarem nunc sumas diem, genio affatim indulge, Deóque gratias habe, qui hoc die vitæ munere te fungi fecit et concessit.

**Macrinus:** Istud hodie feci, facio, et quoad hic dies duraverit, faciam.

**Castor:** Macrine, scisne cur munera mittantur ab amicis illi cuius est dies natalis?

**Macrinus:** Puto quòd signum sit amicitiæ, eo munere gaudeant natum esse in mundum, eum cui mittant.

**Castor:** Ut die Circuncisionis donantur xenia, ob novi auspicium anni, ita ipso die natali nato homini.

**Macrinus:** Verisimile est.

**Castor:** Sic res est.

**Macrinus:** Serve, bellaria appone, et cyathos aspice an sitiant.

**Persius:** Nunquàm vidi calices sitire.

**Macrinus:** Intelligenti pauca satisfaciunt, caseo hoc ora exiccate, butyróque animos si mœrent lenîte.

**Pollux:** Macrine præbibo, optóque felix sit tibi dies natalis, posteráque ætas.

**Macrinus:** Commodè bibas.

**Castor:** Fac deponi dapes, expatiabimur aliquantulúm.

**Macrinus:** Serve mensam tolle.

**Castor:** Legamus hymnum.

**Macrinus:** Deus misericors et iustus, qui in hanc lucem nos creavit, creatósque pascit sua gratia, benedictus sit in æternum et ultrà.

**Persius:** Amen.

**Macrinus:** Boni consulite habita obsonia.

**Persius:** Tu pro liberalitate ista gratiam habe.

---

# Convivium delicatorum palatorum.

**Coloniensis**, **Vestalus**, **Thuringus**, **Saxo**, **Suevus**, **Hessus**, **Franco**, **Phrysius**, **Obsonator**.

**Coloniensis:** Heus, heus contubernales optimi, quid agemus? tempore hoc licentioso, convivabimúrne invicem? vivemus semper Stoicos? nunquàm cum Horatio spargemus nuces patiemúrque vel inconsulti haberi?

**Vestalus:** Iucundum esset convivari, si opulenta nobis essent crumenæ.

**Coloniensis:** Ego omnium nostrorum nomine numos exponam et sumptum, si post factum calculum quisque sua parte mihi reddere promittit.

**Vestalus:** Pollicemur ad sacramentum.

**Coloniensis:** Audín' tu Obsonator, in convivium delicatum obsonia mercatum vade, sed cura ut lautissima quæque emas.

**Obsonator:** Æris satis si habuero, obsonando accinctissimus ero.

**Coloniensis:** Accipe aureum istum, et quantum opus fuerit, obsoniis splendidis impende.

**Obsonator:** Pollucibiliter obsonabo.

**Vestalus:** Redeas pegasæo gradu, et vorans viam.

**Coloniensis:** Obsonatum misi, qui mercabitur nobis edulia ampliter.

**Thuringus:** Aderit etiam mox?

**Coloniensis:** Apud propôlas cibum coctum emet, tum coquendi labore non egemus.

**Saxo:** At quid obsonii afferet?

**Coloniensis:** Jussi ut delicatissima quæque quæreret et mercaretur.

**Suevus:** Cuius palato? fortè tuo obsonabit.

**Coloniensis:** Quicquid culinaria taberna habuerit opipari et cocti, istud

nobis comparet.

**Hessus:** Adveniétne oppidò?

**Coloniensis:** Dicto citius aderit, nos interim mensam sternemus.

**Franco:** En aliâs redit Obsonator, sub pallio ferens nescio quid.

**Coloniensis:** Salvus advenisti Obsonator noster, quid splendidi mercatus es nobis?

**Obsonator:** Admodum calida, nescio an pinguia.

**Hessus:** Proh, carnes affert suillas et vitulinas, quis illis delectatur? porcina est immunda lepram gignens, vitulina insaluberrima febrem pariens, morbúmque et moros gestire facit.

**Obsonator:** Mercatus sum quæ potui consequi, delectus mihi non erat, aliâs hæc non attulissem.

**Coloniensis:** Edamus hæc, dum desunt splendidiora.

**Franco:** Verè dicis, boni consulenda sunt vilia, ubi pretiosis laboratur.

**Hessus:** Edat igitur quisque esuriens, fames ipsi condimentum dabit, quo sapient etiam dulcissimè.

**Obsonator:** Aut manus admovete, aut solus exedam.

**Suevus:** Quod mercatus es ede, nos esurire malumus.

**Obsonator:** Nunc in portu navigabo, résque mea in vado erit, cùm solus hæc devorare debeo.

**Thuringus:** Nihil aliud tibi erat apud propôlas?

**Obsonator:** Ne My quidem.

**Coloniensis:** Bibamus copiosius, et quo in cibo egemus, in potu recompensemus. Mox domuus ibo quæsitum piperis aliquid zinzibere conditi.

**Vestalus:** Ipse si in patria essem, haberem quo latrantem stomachum replerem.

**Hessus:** Quid?

**Vestalus:** Patinam fabarum, déinde lentium, deinde pisorum, tum lactis, tum pultis, tum olerum, tum raparum. Hæc fercula quibus desunt, potiuntur crassissima carne porcina.

**Thuringus:** In laribus meis paternis dulce iusculum de halece ederem: tabernam potoriam accedens, in sinum sumerem halec salsugine erutum, de quo lamberem inter potandum, ut sitim acciperem.

**Franco:** Ô nobilem meam Franconiam, in qua vini suavis bibuntur calices: ibidem si essem, viverem indulgentius.

**Saxo:** In Saxonia mea et nobilis ac satis crassa cervisia potatur.

**Hessus:** Hessia mea caprinis carnibus abundantissima est, in ipsáque obsonia pinguia et multo iusculo eduntur.

**Suevus:** Suevi mei vino et nucum copia superbiunt.

**Phrysius:** Phrysii nostri butyro fertilibúsque caseis nobiles sunt et laudabiles.

**Franco:** Quid tu Coloniensis ais? in quo tuam Colonniam effers?

**Coloniensis:** Opus non est præconio, satis seipsam commendat.

**Franco:** Dapes opipare vobis Coloniensibus nullæ sunt aliæ, quàm piper rugosum.

**Coloniensis:** Ah, nos inopes Germaniæ orientalis vel superioris, vos aquæ bibuli.

**Franco:** Si nostrates aquam non biberent, diu Rhenus vos Occidentales Germanos submersisset.

**Obsonator:** Quisque suam repetet domum, nequeo vestris palatis arridentia obsonare, nam nimiùm dissident.

---

# Convivium Helluonum poculis sese urgentium.

## **Hermanus**, **Arnoldus** fratres, **Iasperus** & **Georgius**.

**Hermanus:** Sitio affatim, quid consilii præbes mi frater?

**Arnoldus:** Remedium non est aliud magis præsentaneum siti, quàm epotatio crebra poculorum.

**Hermanus:** Pocula quid iuvant vacua?

**Arnoldus:** Pocula puto non inania, sed potu referta: vacua vasa, pocula non merentur dici.

**Hermanus:** Quî hoc?

**Arnoldus:** Pocula (ni fallor) dicuntur calices, quasi potum continentes vel continentia.

**Hermanus:** Potatum quò nos conferemus?

**Arnoldus:** In eas ædes ubi convenire soliti sumus.

**Hermanus:** Iniucundum est duobus solis compotare, si quos habere mus congerrones sive compotores.

**Arnoldus:** Fortè in ipso domicilio cervisiario quosdam inveniemus nostri consortii.

**Hermanus:** Accedamus Iasperum veterem nostrum commilitonem.

**Arnoldus:** Perplacet, confestim eamus.

**Hermanus:** Heus, heus Iaspere, ésne domi?

**Iasperus:** Non sum.

**Hermanus:** Nónne te loquentem audimus?

**Iasperus:** Non Iasperum, sed fortè Theologum auditis.

**Hermanus:** Ecce obliti per Herculem fuimus istius tui cognominis. quid agis? latitas semper et assides Theologicis tuis libris?

**Iasperus:** In Grammaticis regulis sudavi et legi. Quid venitis? quid expetitis?

**Hermanus:** Venimus curatum cuticulam tecum ad pocula.

**Iasperus:** Hæc domus ad algidam dicitur culinam, nihil cibi, neque potus, neque ignis est.

**Hermanus:** Adest cantharus quo potus feratur?

**Iasperus:** Fideliam habemus, non stanneum. cantharum.

**Arnoldus:** Dulcior est potus ex fictili poculo, quàm stanneo.

**Hermanus:** Istud est quod dixit Agathocles rex filius figuli, qui rex maluit ex fictilibus vasis quàm aureis bibere.

**Iasperus:** Huc è regione in taberna coquinaria cervisiam feram, interim expectetis.

**Hermanus:** At redi velox, sitimus fortiter et acerbissimè.

**Iasperus:** Huc redeo, felix sit cervisia bibentibus.

**Arnoldus:** Et tibi afferenti non infelix.

**Iasperus:** Hoc poculo ebibendo aut totum, aut medium combibebimus.

**Hermanus:** Arridet, sit ratum quod loqueris.

**Iasperus:** Hermane, præbibo tibi integrum poculum.

**Hermanus:** Esto, accipio libenter.

**Arnoldus:** En Georgi unde tu proripis?

**Georgius:** È laribus meis visum venio quid hîc geratur.

**Hermanus:** Hîc potatur, genióque indulgetur.

**Georgius:** Istud video.

**Iasperus:** Assideas, sísque nobis compotor.

**Georgius:** Ære careo.

**Hermanus:** Prædivitem habemus convivii principem, Iasperum nostrum tertium Catonem, et octavum sapientem.

**Iasperus:** Nasum vestrum nosco, nasuti estis, præter hoc nihil.

**Arnoldus:** Hui, bibite plenis poculis commilitones optimi, exemplum vobis dabo, calcárque addam calicem hunc ingurgitando.

**Iasperus:** Ho, ho, instar vaccæ bibis.

**Arnoldus:** Usqueadeò sapuit, desinere et cessare non potui.

**Hermanus:** Georgi, tibi propino.

**Georgius:** Accipio lubens.

**Hermanus:** Ut defidetis tam siccis palatis calices osculamini, ipsísque linguas madefacite.

**Arnoldus:** Non feriabimur.

**Hermanus:** Cervisiæ plus feras, hæc epota est.

**Iasperus:** Asses tres porrigite.

**Arnoldus:** Ad calculum feras, in digressu solvemus.

**Iasperus:** Sin minus feceritis, vestibus vos nudabo.

**Hermanus:** Nunc eas ocyus.

**Iasperus:** Felix faustáque sit, quam sero, cervisia bibenti et solvere volenti.

**Arnoldus:** Quid? non esset salubris satisfacere recusanti?

**Iasperus:** Iste non bibat.

**Arnoldus:** Nunc tanto cupidius bibemus. Hui, bibite plenis buccis sodales optimi? bibite ad iugulum usque.

**Georgius:** Quid illud conferret?

**Arnoldus:** Multùm sanè, quantum quis plus potu madet, tanto peritior est, iucundior et hilarior.

**Iasperus:** Hermane, hoc te saluto calice.

**Hermanus:** Non obsit, ebibe, aut non suscipiam à te.

**Arnoldus:** Abeundi tempus est, vespera imminet.

**Iasperus:** Exoluite prius impendium.

**Hermanus:** Ad Græcorum Calendas.

**Iasperus:** Memor ero, ubi locus fuerit.

---

# Convivium commilitonum literatorum asses suos congerentium.

**Henricus**, **Iacobus**, **Arnoldus**, **Petrus**, **Cornelius**.

**Henricus:** À meridie quid operis faciemus?

**Iacobus:** Inscius sum.

**Henricus:** Si me audire velitis, scirem quid facere conferret.

**Iacobus:** Exprime: audiemus.

**Henricus:** Ut asse cuiuslibet apposito conviviolum instauraremus, diu non compotavimus.

**Arnoldus:** Facilè dictu est, sed difficile factu.

**Henricus:** Quî hoc?

**Arnoldus:** Ære laboramus.

**Petrus:** Neque cingulum, neque marsupium, neque assis minimus mihi est.

**Cornelius:** Et mihi assis non est, quo restim emerem.

**Henricus:** Consilium dabo, ut nonnihil æris acquiratis: Parentibus vel cognatis dicite libellum aliquem albo numo vos empturos, illum deinde potatiuncula insumemus, quisque non nisi unius albi numi (ut vulgò dicitur) sumptum faciet.

**Iacobus:** Optimum consilium et acceptandum.

**Henricus:** Quisque ilico domum eat, et tantum æris à parentibus vel amicis petat.

**Iacobus:** Curabimus.

**Henricus:** At præpeti gradu redite.

**Petrus:** Ibimus viam vorantes.

**Arnoldus:** Redeo et voti compos factus, pecuniam affero.

**Iacobus:** Præsto ego sum, à matre hoc numo donatus.

**Petrus:** Venio et ipse quoque, licet serus, quia diu pater nolebat annuere et marsupium laxare.

**Henricus:** Ubi tu tam serus moratus es? quid te detinuit?

**Cornelius:** Dura cervix meæ nutricis, quæ decies assem in manu vertit et revertit, antequàm exponit.

**Henricus:** Renuebat tibi tantillum numorum?

**Cornelius:** Ægrè extorsi, et fermè lachrymantibus oculis.

**Henricus:** Velocissimi nunc potatum eamus, vivamúsque cervisiarii potatores, dum nequimus Bacchanalia.

**Iacobus:** Quò concedemus?

**Henricus:** Ad ædes meas, ubi solitudine fruemur, potabimus, et io, io, io, cantabimus, nemine percipiente. Intretis pulcherrimi combibones et commilitones literarii.

**Arnoldus:** Æquum est, ut qui totis diebus sudantes et laboriosi consedimus in gymnasio literario, animis tristibus, trementibus corporibus, ob præceptoris sævitiam et ferulæ metum, sic et nos ad pocula exhilaremus aliquando.

**Petrus:** Decet, ut qui miseriarum fuerunt, etiam lætitiæ sint participes.

**Henricus:** Quisque vestrûm numos mihi det, ego princeps convivii ero.

**Cornelius:** Muneris istud habeas, sed fideliter exequere, non aliquid pecuniæ recondas in loculum.

**Henricus:** Potum et triticeum panem mercabor, quoad teruncium habuero, ibo iam latum cervisiam.

**Iacobus:** Vade, et celer redi.

**Henricus:** Tardus non ibo, en redeo, potus hic cerere coctus saluti sit omnibus bibentibus ipsum, sed præbibere est meum, tibi propino Arnolde.

**Arnoldus:** Accipio libenti animo.

**Petrus:** Iacobe, libétne bibere?

**Iacobus:** Liberet, si haberem.

**Petrus:** Hunc calicem tibi præbibam medium.

**Iacobus:** Id facito, cupio.

**Petrus:** Bibe nunc et tu.

**Iacobus:** Aliquid panis triticei da, edere oportet me, dum bibo.

**Arnoldus:** Et edendo bibere necesse est, si cibum decoquere et ingerere debeo.

**Henricus:** Cuius est bibere? in quo sistit amphora? potitet, quo et nos alii potu fruamur.

**Arnoldus:** Vide ne deficiat cervisia, aliôqui pugnos edes, aut versus caput tibi cantharum mittemus.

**Henricus:** Non cupio istam fortunam et commoditatem, satis supérque adhuc restat, vos saltem invicem præbibite.

**Iacobus:** Corneli, tu sitim potu non comprimis? propino tibi huius calicis medium.

**Cornelius:** Salutiferum sit tibi.

**Petrus:** Hoc ebibam, tum non sine fruge sumptum feci.

**Henricus:** Pecuniæ suæ quem pœnitet, potu se consoletur.

**Iacobus:** Ipse ad summum iugulum me implebo, cogitabóque numos, quos è domo paterna attuli, stomacho et ventri me immisisse.

**Arnoldus:** Non salsus erit cogitatus: nam bibuli domum in ventre referunt quod mane extulerunt ædibus in crumena.

**Cornelius:** At abeamus hinc, tempestivum est.

**Iacobus:** Fiet.

---

# Convivium lucri lusorii.

**Albertus**, **Christianus**, **Vesselus**, **Matthias**, **Dionysius**, **Staphyla** mulier.

**Albertus:** Attendite, attendite sodales et collusores charissimi, vestes induite, in tempore hinc ut discedamus, morabimur etiam adhuc horulam in potatoria domo.

**Christianus:** Ageremus compotatiunculam? repetenda mihi est domus paterna, aliôqui si serus venero, pugnos edam.

**Albertus:** Non annum peragemus bibendo, pedibus insistendo lucrum ludi consumemus.

**Vesselus:** Quantum æris dedit victoria?

**Albertus:** Albos numos tres.

**Matthias:** Nullos nigros numos?

**Albertus:** Nugas agere incipis.

**Dionysius:** Eamus, non diu sistemus pedes, in proximum hîc ad portam, ubi baculus stramine obsitus, extensus est.

**Matthias:** Ibidem vænit cervisia pretio suo respondens.

**Christianus:** Es notus mulieri vendenti?

**Matthias:** Sum, comitamini, ego præcedam.

**Albertus:** I præ, nos in pedes sequemur. Heus, heus, nemón' huc prodit? Staphyla ubi lates? Promes nobis cervisiæ mensuram?

**Staphyla:** Lubentissimè, subite tectum, non foris ac mendici pedes figite, et stetis, accipite et bibite prosperè.

**Matthias:** Tu prius bibas ut dignum est.

**Staphyla:** Faciam, ne incantasse me potum suspicemini.

**Matthias:** Minimè istud timemus.

**Staphyla:** Ite accubitum mensam, quid pedibus insistendo biberetis?

**Albertus:** Æquè stantes ac sedentes tempus prodigitis, libet è poculo bibere?

**Christianus:** Placet, porrige fictile aliquod.

**Staphyla:** Nunc infundite.

**Vesselus:** Ægrè effunditur, ubi nullus restat potus.

**Staphyla:** Detis, plus promam.

**Matthias:** Duas nunc porrexisti mensuras?

**Staphyla:** Verum est, cupitis buccellam panis, quo bibere vos delectet.

**Albertus:** Non, non, ad parentes eundum et properandum nobis est, ibi cœnitabimus.

**Staphyla:** Si placuerit, sponte impertiar vobis.

**Christianus:** Iuxtà gratiam habeo, acsi dedisses.

**Vesselus:** Properè abeamus, moramur nimium.

**Matthias:** Staphyla, denuò i eductum potum, deinde discedemus.

**Dionysius:** Conveniet tertia mensura consumpta calculum facere, nam omne trinum perfectum est.

**Staphyla:** Hæc tertia sit vobis salutifera.

**Albertus:** Præbibas mihi, dulcior est potus post haustum à muliere è cantharo factum.

**Staphyla:** Leporis in me cadaverosa muliere nihil est: si triginta annis iunior essem.

**Dionysius:** Nondum usqueadeò annis confecta es, adhuc butyrum (ut vulgò proverbium est) tuis in labiis liquefieret.

**Staphyla:** Minimè per Pollucem, ego ex senio edentula facta sum, convenio ad libidinis prurientis titillationem expellendam.

**Albertus:** Tu totum diem transigeres nugamentis, bibe, ut hinc solvamus anchoram.

**Matthias:** Propino tibi.

**Albertus:** Felicitatem bibas.

**Dionysius:** Cæteris propines, ipse exolvam potum, Audín' Staphyla? tres cantharos cervisiæ habuimus, nónne?

**Staphyla:** Verum est.

**Matthias:** Numos tene, nos discessum faciemus.

**Staphyla:** Ite bonis avibus.

**Albertus:** Sit tibi nox felix et fausta.

**Staphyla:** Vobis quoque sit fortunata et secunda: quandocunque fores præteribitis meas, huc potatum concedite, si præsentes non habueritis numos, ad fidem cervisiam dabo.

**Matthias:** Faciemus.

**Christianus:** Quàm callida in suum quæstum est anus illa, revocare nos et allicere conatur, quo sæpe potui insumamus numos apud se.

**Vesselus:** Superstites semitres albos in quid conferemus?

**Albertus:** In compotatiunculam proximi nostri congressus.

**Matthias:** Ædes suas quisque adeat, hinc digrediendum est nobis, prosperam precor vobis noctem.

**Dionysius:** Et nos tibi quoque.

---

# Convivium ultimi digressus, dum discessus monumentum compotatur.

**Crato**, **Nicolaus**, **Fridericus**, **Laurentius** discessuri, **Pater**, **Puer**.

**Crato:** In cœnam vos tres volo convivas, si integrum, vobísque cordi fuerit.

**Nicolaus:** Unde tanta tibi liberalitas, quòd convivas nos vocas: cùm soleas esse Plautino Euclione tenacior?

**Crato:** Cum ipso tenacitatem commutavi liberalitate.

**Nicolaus:** Quî tam subitò?

**Crato:** Cras hinc abibo exulatum peregrè.

**Nicolaus:** Fortè in literarum emporium proficisceris?

**Crato:** Istud faciam.

**Laurentius:** Tum monumento digressus nos donabis ad hodiernam cœnam.

**Crato:** Sic fiet, vos adsitis, exporrigemus frontem genialiter.

**Nicolaus:** Adveniemus, at qua hora?

**Crato:** Sexta postquàm sonuerit, facite ut domi nostræ sitis.

**Fridericus:** Curabimus, tu abi, nos in tempore sequemur.

**Crato:** Vos fumi venditores dicam, si me non inviseritis.

**Nicolaus:** Viri sumus, promissa facto exequemur.

**Fridericus:** Donabimúsne ipsum vino, si comessatum ipsum adierimus?

**Laurentius:** Minimè gentium, sui muneris est nos tingere poculis et vino in discessus monumentum: nostrum verò pensum erit, si quando remigraverit huc salvus, vino excipere ipsum.

**Nicolaus:** Ibimus tum ad cœnam ipsum conventum?

**Fridericus:** Quid ni? id dedeceret, addixisse ipsi et emanere.

**Laurentius:** Quotam sonuit horam?

**Nicolaus:** Quintam: et sexta instat.

**Laurentius:** Eamus igitur, si accincti estis, ne in nobis sit mora.

**Fridericus:** Properare opus non est, licet nos post cœnæ auspicium venire.

**Nicolaus:** Fores pulsa, aut tintinnabulo sonum facito.

**Crato:** En mei commilitones, gratum mihi est quòd venistis, desperabam de adventu vestro.

**Fridericus:** Tales non sumus, qui factis dissonant à verbis. sed ubi pater est? ánne hîc domi?

**Crato:** Intus insidet hybernaculo, ingredimini.

**Nicolaus:** Præeas tu.

**Crato:** Sequimini.

**Pater:** Qui adsunt?

**Crato:** Commilitones mei aliquot.

**Laurentius:** Bonus vesper sit tibi here.

**Pater:** Et vobis, grati sint vestri adventus.

**Nicolaus:** Gratiam habe. Advenimus huc exporrectum frontem cum Cratone veteri nostro sodali, qui cras se hinc peregrinaturum aliò dixit.

**Pater:** Dignè fecistis, est mihi acceptum vestrum advenire: manibus aquam accipite, iamiam mensæ accumbemus. Puer, consecra cœnam.

**Puer:** Benedicite.

**Pater:** Dominus.

**Puer:** Huius nostræ cœnæ fercula et potus benedicat et consecret Deus, qui sua suavitate nutrit omne vivens, pascit creaturas omnes, nullúmque sibi fidentem et iustum deserit, velit et nos hoc vesperi alere cibo et potu in animæ nostræ salutem et suum honorem. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

**Pater:** Amen. Nunc discumbite, hilarem sumamus hanc cœnam.

**Nicolaus:** Tu discumbe, nos assidebimus.

**Pater:** Hîc mihi solet esse sedes. Puer, obsonia affer.

**Puer:** Adsunt.

**Pater:** Vino reple vitreos calices.

**Puer:** Curabo.

**Pater:** Has carnes iusculo elixas edite, mox delicatiora dabuntur.

**Laurentius:** Munus nostrum exequemur bellè.

**Pater:** Præbibo vobis tribus, quòd dignati estis huc venire cœnatum, ad monumentum discessus filii mei.

**Nicolaus:** Bibas feliciter.

**Laurentius:** Crato, hoc poculo te adoriar.

**Crato:** Suscipiam ex corde.

**Fridericus:** Nicolaë propino tibi.

**Nicolaus:** Sit commodo.

**Pater:** Puer, tolle hanc patinam, et alia edulia affer.

**Puer:** Porrige.

**Pater:** Assas has frigidas carnes comedite, quisque ad suam decerpat quadram.

**Nicolaus:** Crato, ut salvus discedas, feliciórque redeas, hoc vitrum tibi propino.

**Crato:** Commodè bibas.

**Pater:** Crato, quocunque veneris, vide ut probus, fidelis, diligens literarum, fugiens ludi, amans Dei et probitatis sis, nulli quàm tibi olim proderit.

**Crato:** Honestissimè agam, ne cures mi pater.

**Pater:** Cura, tibi luditur, si non feceris. Puer tolle mensam, et hymnum gratiarum actionis dicas.

**Puer:** De sumpta cœna benedicamus Domino.

**Pater:** Deo gratias. Cuius benignitate pasti sumus, conservamur vivi et salvi, sit benedictus, gratiámque sempiternam habeat.

**Crato:** Amen.

**Pater:** Vos adolescentes gratiam habete de adventu.

**Nicolaus:** Et tu de cœna tua.

**Pater:** Præbibo vobis potum gratiarum.

**Nicolaus:** Prosit, nunc abeundi tempus est. Crato, cras in digressu te alloquemur.

**Crato:** Sic fiet, iam valete.

---

# Convivium disceptatorium, & literarium.

## **Iasperus**, **Ioannes**, **Henricus**, **Marcus**, **Maxemilianus**.

**Iasperus:** Vos opulenti, vos locupletissimi, quando è vestris loculis convivium aliquod nobis instruetis?

**Ioannes:** Convivari tu semper expetis: si piscis esses, vivarium omne exorberes, in quo reconditus esses.

**Iasperus:** Ille potus non iuvaret me, sitire mallem.

**Henricus:** Ad convivium impendiosum sex albos immunes dabo.

**Maxemilianus:** Et tantum ipse addam.

**Marcus:** Io, io, nunc bibemus, et ad Epicureorum morem cuticulam curabimus.

**Henricus:** His pecuniam meam expendam.

**Iasperus:** Redde et tuam Maxemiliane.

**Maxemilianus:** Accipe.

**Iasperus:** Ibo latum vinum, Creticum vel vulgare?

**Maxemilianus:** Quod vulgò venditur, illius multò plus ista mercabimur pecunia.

**Iasperus:** Ferendo vinum, ab impendio liber ero.

**Maxemilianus:** Triticeos panes aliquot emas, unde rodemus, et vino perfundemus.

**Iasperus:** Nosco, securi sitis, expediam quàm rectissimè.

**Henricus:** I celeri gressu.

**Iasperus:** Hîc affero vini mensuras quatuor, quamlibet viginti terunciis.

**Maxemilianus:** Tu cyathis infunde.

**Iasperus:** Sed hunc calicem latori debitum, primus ebibam.

**Henricus:** Bibe et præliba, sítne veneno infectum, tum nos securius

et audentius bibemus.

**Iasperus:** Propino tibi.

**Henricus:** Sit tibi bono. Omnibus bibulis vobis præbibo.

**Maxemilianus:** Sit saluti tibi poculorum barathro.

**Henricus:** Istud convitiari nihil pendo.

**Maxemilianus:** Iaspere, hoc cyatho te aggredior.

**Iasperus:** Accipiam grato animo. Agite vos combibones optimi, hîc inter pocula literarii aliquid tractemus, ne tempus (ut Plautus inquit) comburamus sine fruge.

**Marcus:** Conveniet: nam ut Persius ait, “Ecce inter pocula quærunt Romulidæ saturi, quid diva poëmata narrent”.

**Iasperus:** Ego disserenda proponam, vos respondete.

**Maxemilianus:** Faciemus.

**Iasperus:** Utrum melius esse creditis, doctum esse et virtute præditum, vel indoctum et vitiis inquinatum?

**Maxemilianus:** Lippi et tonsores istud diiudicarent, virtutem et scientiam, toto cœlo præstare vitiis et inscitiæ.

**Iasperus:** Causam dicite.

**Maxemilianus:** Virtus ad æthera vehit, vitia ad manes præcipitant. Scientia decorat hîc in mundo, et post vitam hanc lucêre facit homines, quasi splendor firmamenti. Indocti digitis extensis exhibilantur, nihílque à caudice differunt.

**Iasperus:** Virum prævalet, pax et concordia, vel lis et discordia?

**Henricus:** Pax, nam nutrit omnia, conservat singula, et res parvas auget, divinitus mortalibus data. Discordia omnia dissipat, conservat nihil, diabolica est, ab imis inferis in mundum missa.

**Iasperus:** Utrum literatum et inopem esse, vel indoctum et opulentum præstat?

**Ioannes:** Literas scire et inopem esse.

**Maxemilianus:** Inopes tamen nequeunt emergere, et passim pessundantur.

**Ioannes:** Pauperes et docti ubique in viros evadunt, nam artem

quævis alit terra.

**Iasperus:** Ideo sodales dilectissimi quicquid agimus, curemus semper, ut operam literis navemus, chartis impallescamus, ut et olim pedes cœno extrahamus, pennas nido extendamus, nostris maioribus aut pares fiamus, aut præluceamus virtute.

**Henricus:** Hactenus illa, bibite ordine omnes, discedendum est.

**Maxemilianus:** Propino tibi.

**Henricus:** Libenti animo suscipiam.

**Iasperus:** Gratiam agimus vobis heris et heroibus nostris de hoc impendioso convivio nobis largito.

**Henricus:** Quod fecimus, sodalitatis causa accipite, et gratis.

**Iasperus:** Ubi nostræ creverint opes, vices pares reddemus.

*Colloquiorum Tyronum Literatorum, et Conviviorum Finis.*

# Transcriber’s notes

As this work is fairly old, the printing technique and fashion tend to make reading difficult, and even produce some inconsistencies. Thus some changes have been made in order to improve the reading experience:

- Long s (ſ, ß) have been modernized
- The difference between U and V was only contextual (V as uppercase, and u as lowercase). This has been modernised to fit more modern standards.
- The difference between i and j was also only contextual (j only in -ij, i.e. at the end of words). J has been replaced by i as in most modern Latin publications.
- Adverbs were distinguished by an accent on the last vowel. Mostly a grave accent, but often a vertical or even acute accent, with no apparent reason. The grave accent has been generalized (unless the word is followed by an enclitic)
- The printer’s typeface was limited, and lacked the appropriate diacritics in uppercase, and used O`, A`, E`, Ae, Oe instead of Ô, À, È, Æ, Œ. This was fixed in order to keep consistency with their lowercase equivalents.
- Sometimes, the acute accent on the word before the enclitic was placed in an isolated position before the enclitic instead of the top of the last vowel, such as est’ne, while éstne was expected. This was fixed.
- Each dialogue was printed in monolithic blocks, impairing readability. Each tirade now has its own line, and the general layout has been modernized.
- The locuters’ names were abbreviated in the text, but with no consistency, as the length of the abbreviated names was chosen only to fit in the lines. As some names look alike in a same dialogue, it wasn’t possible to have abbreviated names in a consistent way throughout the eBook, so the full names were restored everywhere. In two dialogues, the name of characters absent from the introduction are used. They

were restored by using the names of characters in previous dialogues. The restored parts are between brackets.

- Some abbreviations were used in the text, mostly ã, ẽ, ĩ, õ, ũ for am/an, em/en, im/in, om/on, um/un, and & for et (this one is systematic). They were all replaced by the full text, except the & in the titles and presentations of the characters, for presentation purposes.
- The order of the dialogs varies somehow from one edition to another, so no strictly fixed order exists

*** END OF THE PROJECT GUTENBERG EBOOK COLLOQUIA, SIVE CONFABULATIONES TYRONUM LITERATORUM ***

Updated editions will replace the previous one—the old editions will be renamed.

Creating the works from print editions not protected by U.S. copyright law means that no one owns a United States copyright in these works, so the Foundation (and you!) can copy and distribute it in the United States without permission and without paying copyright royalties. Special rules, set forth in the General Terms of Use part of this license, apply to copying and distributing Project Gutenberg™ electronic works to protect the PROJECT GUTENBERG™ concept and trademark. Project Gutenberg is a registered trademark, and may not be used if you charge for an eBook, except by following the terms of the trademark license, including paying royalties for use of the Project Gutenberg trademark. If you do not charge anything for copies of this eBook, complying with the trademark license is very easy. You may use this eBook for nearly any purpose such as creation of derivative works, reports, performances and research. Project Gutenberg eBooks may be modified and printed and given away—you may do practically ANYTHING in the United States with eBooks not protected by U.S. copyright law. Redistribution is subject to the trademark license, especially commercial redistribution.

START: FULL LICENSE

THE FULL PROJECT GUTENBERG LICENSE

PLEASE READ THIS BEFORE YOU DISTRIBUTE OR USE THIS WORK

To protect the Project Gutenberg™ mission of promoting the free distribution of electronic works, by using or distributing this work (or any other work associated in any way with the phrase “Project Gutenberg”), you agree to comply with all the terms of the Full Project Gutenberg™ License available with this file or online at www.gutenberg.org/license.

## Section 1. General Terms of Use and Redistributing Project Gutenberg™ electronic works

1.A. By reading or using any part of this Project Gutenberg™ electronic work, you indicate that you have read, understand, agree to and accept all the terms of this license and intellectual property (trademark/copyright) agreement. If you do not agree to abide by all the terms of this agreement, you must cease using and return or destroy all copies of Project Gutenberg™ electronic works in your possession. If you paid a fee for obtaining a copy of or access to a Project Gutenberg™ electronic work and you do not agree to be bound by the terms of this agreement, you may obtain a refund from the person or entity to whom you paid the fee as set forth in paragraph 1.E.8.

1.B. “Project Gutenberg” is a registered trademark. It may only be used on or associated in any way with an electronic work by people who agree to be bound by the terms of this agreement. There are a few things that you can do with most Project Gutenberg™ electronic works even without complying with the full terms of this agreement. See paragraph 1.C below. There are a lot of things you can do with Project Gutenberg™ electronic works if you follow the terms of this agreement and help preserve free future access to Project Gutenberg™ electronic works. See paragraph 1.E below.

1.C. The Project Gutenberg Literary Archive Foundation (“the Foundation” or PGLAF), owns a compilation copyright in the collection of Project Gutenberg™ electronic works. Nearly all the individual works in the collection are in the public domain in the United States. If an individual work is unprotected by copyright law in the United States and you are

located in the United States, we do not claim a right to prevent you from copying, distributing, performing, displaying or creating derivative works based on the work as long as all references to Project Gutenberg are removed. Of course, we hope that you will support the Project Gutenberg™ mission of promoting free access to electronic works by freely sharing Project Gutenberg™ works in compliance with the terms of this agreement for keeping the Project Gutenberg™ name associated with the work. You can easily comply with the terms of this agreement by keeping this work in the same format with its attached full Project Gutenberg™ License when you share it without charge with others.

1.D. The copyright laws of the place where you are located also govern what you can do with this work. Copyright laws in most countries are in a constant state of change. If you are outside the United States, check the laws of your country in addition to the terms of this agreement before downloading, copying, displaying, performing, distributing or creating derivative works based on this work or any other Project Gutenberg™ work. The Foundation makes no representations concerning the copyright status of any work in any country other than the United States.

1.E. Unless you have removed all references to Project Gutenberg:

1.E.1. The following sentence, with active links to, or other immediate access to, the full Project Gutenberg™ License must appear prominently whenever any copy of a Project Gutenberg™ work (any work on which the phrase “Project Gutenberg” appears, or with which the phrase “Project Gutenberg” is associated) is accessed, displayed, performed, viewed, copied or distributed:

> This eBook is for the use of anyone anywhere in the United States and most other parts of the world at no cost and with almost no restrictions whatsoever. You may copy it, give it away or re-use it under the terms of the Project Gutenberg License included with this eBook or online at www.gutenberg.org. If you are not located in the United States, you will have to check the laws of the country where you are located before using this eBook.

1.E.2. If an individual Project Gutenberg™ electronic work is derived from texts not protected by U.S. copyright law (does not contain a notice indicating that it is posted with permission of the copyright holder), the work can be copied and distributed to anyone in the United States without paying any fees or charges. If you are redistributing or providing access to a work with the phrase “Project Gutenberg” associated with or appearing on the work, you must comply either with the requirements of paragraphs 1.E.1 through 1.E.7 or obtain permission for the use of the work and the Project Gutenberg™ trademark as set forth in paragraphs 1.E.8 or 1.E.9.

1.E.3. If an individual Project Gutenberg™ electronic work is posted with the permission of the copyright holder, your use and distribution must comply with both paragraphs 1.E.1 through 1.E.7 and any additional terms imposed by the copyright holder. Additional terms will be linked to the Project Gutenberg™ License for all works posted with the permission of the copyright holder found at the beginning of this work.

1.E.4. Do not unlink or detach or remove the full Project Gutenberg™ License terms from this work, or any files containing a part of this work or any other work associated with Project Gutenberg™.

1.E.5. Do not copy, display, perform, distribute or redistribute this electronic work, or any part of this electronic work, without prominently displaying the sentence set forth in paragraph 1.E.1 with active links or immediate access to the full terms of the Project Gutenberg™ License.

1.E.6. You may convert to and distribute this work in any binary, compressed, marked up, nonproprietary or proprietary form, including any word processing or hypertext form. However, if you provide access to or distribute copies of a Project Gutenberg™ work in a format other than “Plain Vanilla ASCII” or other format used in the official version posted on the official Project Gutenberg™ website (www.gutenberg.org), you must, at no additional cost, fee or expense to the user, provide a copy, a means of exporting a copy, or a means of obtaining a copy upon request, of the work in its original “Plain Vanilla ASCII” or other form. Any alternate format must include the full Project Gutenberg™ License as specified in paragraph 1.E.1.

1.E.7. Do not charge a fee for access to, viewing, displaying, performing, copying or distributing any Project Gutenberg™ works unless you comply with paragraph 1.E.8 or 1.E.9.

1.E.8. You may charge a reasonable fee for copies of or providing access to or distributing Project Gutenberg™ electronic works provided that:

- You pay a royalty fee of 20% of the gross profits you derive from the use of Project Gutenberg™ works calculated using the method you already use to calculate your applicable taxes. The fee is owed to the owner of the Project Gutenberg™ trademark, but he has agreed to donate royalties under this paragraph to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation. Royalty payments must be paid within 60 days following each date on which you prepare (or are legally required to prepare) your periodic tax returns. Royalty payments should be clearly marked as such and sent to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation at the address specified in Section 4, “Information about donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation.”

- You provide a full refund of any money paid by a user who notifies you in writing (or by e-mail) within 30 days of receipt that s/he does not agree to the terms of the full Project Gutenberg™ License. You must require such a user to return or destroy all copies of the works possessed in a physical medium and discontinue all use of and all access to other copies of Project Gutenberg™ works.

- You provide, in accordance with paragraph 1.F.3, a full refund of any money paid for a work or a replacement copy, if a defect in the electronic work is discovered and reported to you within 90 days of receipt of the work.

- You comply with all other terms of this agreement for free distribution of Project Gutenberg™ works.

1.E.9. If you wish to charge a fee or distribute a Project Gutenberg™ electronic work or group of works on different terms than are set forth in this agreement, you must obtain permission in writing from the Project Gutenberg Literary Archive Foundation, the manager of the Project

Gutenberg™ trademark. Contact the Foundation as set forth in Section 3 below.

1.F.

1.F.1. Project Gutenberg volunteers and employees expend considerable effort to identify, do copyright research on, transcribe and proofread works not protected by U.S. copyright law in creating the Project Gutenberg™ collection. Despite these efforts, Project Gutenberg™ electronic works, and the medium on which they may be stored, may contain “Defects,” such as, but not limited to, incomplete, inaccurate or corrupt data, transcription errors, a copyright or other intellectual property infringement, a defective or damaged disk or other medium, a computer virus, or computer codes that damage or cannot be read by your equipment.

1.F.2. LIMITED WARRANTY, DISCLAIMER OF DAMAGES - Except for the “Right of Replacement or Refund” described in paragraph 1.F.3, the Project Gutenberg Literary Archive Foundation, the owner of the Project Gutenberg™ trademark, and any other party distributing a Project Gutenberg™ electronic work under this agreement, disclaim all liability to you for damages, costs and expenses, including legal fees. YOU AGREE THAT YOU HAVE NO REMEDIES FOR NEGLIGENCE, STRICT LIABILITY, BREACH OF WARRANTY OR BREACH OF CONTRACT EXCEPT THOSE PROVIDED IN PARAGRAPH 1.F.3. YOU AGREE THAT THE FOUNDATION, THE TRADEMARK OWNER, AND ANY DISTRIBUTOR UNDER THIS AGREEMENT WILL NOT BE LIABLE TO YOU FOR ACTUAL, DIRECT, INDIRECT, CONSEQUENTIAL, PUNITIVE OR INCIDENTAL DAMAGES EVEN IF YOU GIVE NOTICE OF THE POSSIBILITY OF SUCH DAMAGE.

1.F.3. LIMITED RIGHT OF REPLACEMENT OR REFUND - If you discover a defect in this electronic work within 90 days of receiving it, you can receive a refund of the money (if any) you paid for it by sending a written explanation to the person you received the work from. If you received the work on a physical medium, you must return the medium with your written explanation. The person or entity that provided you with the defective work may elect to provide a replacement copy in lieu of a refund. If you received the work electronically, the person or entity providing it to

you may choose to give you a second opportunity to receive the work electronically in lieu of a refund. If the second copy is also defective, you may demand a refund in writing without further opportunities to fix the problem.

1.F.4. Except for the limited right of replacement or refund set forth in paragraph 1.F.3, this work is provided to you 'AS-IS', WITH NO OTHER WARRANTIES OF ANY KIND, EXPRESS OR IMPLIED, INCLUDING BUT NOT LIMITED TO WARRANTIES OF MERCHANTABILITY OR FITNESS FOR ANY PURPOSE.

1.F.5. Some states do not allow disclaimers of certain implied warranties or the exclusion or limitation of certain types of damages. If any disclaimer or limitation set forth in this agreement violates the law of the state applicable to this agreement, the agreement shall be interpreted to make the maximum disclaimer or limitation permitted by the applicable state law. The invalidity or unenforceability of any provision of this agreement shall not void the remaining provisions.

1.F.6. INDEMNITY - You agree to indemnify and hold the Foundation, the trademark owner, any agent or employee of the Foundation, anyone providing copies of Project Gutenberg™ electronic works in accordance with this agreement, and any volunteers associated with the production, promotion and distribution of Project Gutenberg™ electronic works, harmless from all liability, costs and expenses, including legal fees, that arise directly or indirectly from any of the following which you do or cause to occur: (a) distribution of this or any Project Gutenberg™ work, (b) alteration, modification, or additions or deletions to any Project Gutenberg™ work, and (c) any Defect you cause.

## Section 2. Information about the Mission of Project Gutenberg™

Project Gutenberg™ is synonymous with the free distribution of electronic works in formats readable by the widest variety of computers including obsolete, old, middle-aged and new computers. It exists because of the

efforts of hundreds of volunteers and donations from people in all walks of life.

Volunteers and financial support to provide volunteers with the assistance they need are critical to reaching Project Gutenberg™'s goals and ensuring that the Project Gutenberg™ collection will remain freely available for generations to come. In 2001, the Project Gutenberg Literary Archive Foundation was created to provide a secure and permanent future for Project Gutenberg™ and future generations. To learn more about the Project Gutenberg Literary Archive Foundation and how your efforts and donations can help, see Sections 3 and 4 and the Foundation information page at www.gutenberg.org.

## Section 3. Information about the Project Gutenberg Literary Archive Foundation

The Project Gutenberg Literary Archive Foundation is a non-profit 501(c)(3) educational corporation organized under the laws of the state of Mississippi and granted tax exempt status by the Internal Revenue Service. The Foundation's EIN or federal tax identification number is 64-6221541. Contributions to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation are tax deductible to the full extent permitted by U.S. federal laws and your state's laws.

The Foundation's business office is located at 809 North 1500 West, Salt Lake City, UT 84116, (801) 596-1887. Email contact links and up to date contact information can be found at the Foundation's website and official page at www.gutenberg.org/contact

## Section 4. Information about Donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation

Project Gutenberg™ depends upon and cannot survive without widespread public support and donations to carry out its mission of increasing the number of public domain and licensed works that can be freely distributed in machine-readable form accessible by the widest array of equipment

including outdated equipment. Many small donations ($1 to $5,000) are particularly important to maintaining tax exempt status with the IRS.

The Foundation is committed to complying with the laws regulating charities and charitable donations in all 50 states of the United States. Compliance requirements are not uniform and it takes a considerable effort, much paperwork and many fees to meet and keep up with these requirements. We do not solicit donations in locations where we have not received written confirmation of compliance. To SEND DONATIONS or determine the status of compliance for any particular state visit www.gutenberg.org/donate.

While we cannot and do not solicit contributions from states where we have not met the solicitation requirements, we know of no prohibition against accepting unsolicited donations from donors in such states who approach us with offers to donate.

International donations are gratefully accepted, but we cannot make any statements concerning tax treatment of donations received from outside the United States. U.S. laws alone swamp our small staff.

Please check the Project Gutenberg web pages for current donation methods and addresses. Donations are accepted in a number of other ways including checks, online payments and credit card donations. To donate, please visit: www.gutenberg.org/donate

## Section 5. General Information About Project Gutenberg™ electronic works

Professor Michael S. Hart was the originator of the Project Gutenberg™ concept of a library of electronic works that could be freely shared with anyone. For forty years, he produced and distributed Project Gutenberg™ eBooks with only a loose network of volunteer support.

Project Gutenberg™ eBooks are often created from several printed editions, all of which are confirmed as not protected by copyright in the U.S. unless a

copyright notice is included. Thus, we do not necessarily keep eBooks in compliance with any particular paper edition.

Most people start at our website which has the main PG search facility: www.gutenberg.org.

This website includes information about Project Gutenberg™, including how to make donations to the Project Gutenberg Literary Archive Foundation, how to help produce our new eBooks, and how to subscribe to our email newsletter to hear about new eBooks.